



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber XIV. De Ultimo fine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE
 PERFECTIONIBVS
 MORIBVSQVE
 DIVINIS
 LIBER XIV.
 DE VLTIMO FINE.
 CAPVT PRIMVM.

Deum esse vltimum finem, cuius gratia sunt omnia.

SICVT Deus est suprema & prima causa efficiens ^{S. Thomas}
 omnium, ita etiam est vltimus finis. Vnde Apoca- ^{1. p. 9 44. a. 4}
 lypsis 1. dicit: *Ego sum a. & ω, principium & finis.*
 Quibus verbis declarat, se esse qui omnibus rebus per
 creationem initium dedit, & iisdem finem imponet
 terminando cursum huius sæculi, & omnia iustorum desideria
 complendo & consummando, vt *Deus sit omnia in omnibus.* ^{1. Cor. 15.}
 plebit autem illa omnia non solum vt causa efficiens eorum bono-
 rum, ad quæ desiderij motus extenditur, sed etiam per se tamquam
 summum bonum & vltimus finis omnium, quod obtento erit quies
 desideriorum, & æterna fruitio. Ideo enim ab ipso producta &
 progressa sunt omnia quæ ipsius capacia sunt, (nempe omnia men-
 te prædita,) vt per illuminationem & auxilium gratiæ ipsius ad
 ipsum reducantur, & in ipso æternum feliciter quiescant. Angelica
 natura quia tota simul condita & valde perfecta, breuissimo tem-
 pore cursum suum compleuit, & in suum principium & vltimum
 finem

Zzz 3

finem recurrit. Natura humana, quia valde imperfecta (utpote infima & in infimo gradu naturæ rationalis) & continua successione propaganda, longum tempus postulabat. Vnde illa totum illud spatium concessum, quod à principio mundi vsque ad extremum Iudicij diem excurrit, quo de hoc sæculum & cursus temporalis finem accipiet, & inchoabitur dies æternitatis & Sabbathum sempiternæ quietis, quo omnes beati spiritus in ultimo suo fine sine fine felicissimè quiescent.

Duplex finis, qui, & cui, scilicet cuius gratia.

Deum esse finem cuius gratia respectu omnium.

Act. 17. Matth. 23.

Quid Deus spectavit in rebus conderendis.

Porro duplex à Philosophis & Theologis distinguitur finis: nam & bonum quod appetitur, finis dicitur, & persona cui illud appetitur. Illud vocari solet finis qui, hoc finis cui, vel cuius gratia. Vtroque modò Deus est ultimus finis, naturæ rationalis, non tamen ratione carentis: omniv. tamen est ultimus finis cuius gratia, quia propter ipsum omnia facta sunt, & permanent in ævum, nempe propter ipsius gloriam. Testatur id multis locis Scriptura. Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* ad Romanos 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso (ἐκ, ὑπὸ, ἐν) sunt omnia.* *Ex ipso*, quia ipse ex se omnia excogitauit, nemo illum docuit, neque ipsi ostendit. *Per ipsum*, quia per se omnia fecit, nullius ope egens. *In ipsum*, seu ad ipsum, quia omnia ad ipsum tamquam ad ultimum finem ex natura sua ordinantur. Rursum ad Hebræos 2. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, &c.* Denique idem insinuat omnibus illis locis, quibus Deus dicitur *Dominus omnium*, vel *Dominus cæli & terræ*. Dominus enim est finis cuius gratia sunt omnia quæ eius dominio subsunt, nimirum ut eius commodis vel honori seruiant. Quare cum vniuersitas rerum creatarum subsit dominio Dei, sitque natura sua ad hoc instituta ut illi seruiat, manifestum est, ipsum esse finem cuius gratia omnia.

Dicit alienis, cum Deus sit finis cuius gratia ipsemet fecit omnia, quid commodi vel boni spectavit in rebus conderendis & gubernandis, quod ipsi ab illis prouenire queat? Respondeo, Deo nihil commodi aut voluptatis posse accedere à rebus creatis, cum ipse per se sit infinitè perfectus, & omni ex parte beatissimus, ut qui omne bonum in se eminentissimè possideat. Homo condit sibi domum, & eam suppellectile instruit, ut inde commodum percipiat: parat hortos, flores, fontes, picturas, & similia sensuum oblectamenta, ut voluptatem & recreationem ex istis hauriat, quia sibi per se ad omnem commoditatem & oblectationem non sufficit. vnde externis istis adminiculis opus habet. Deus autem

cum

cum per se sibi ad hæc omnia sufficientissimus sit, nihil tale in condendo mundo & rebus omnibus quæ mundi ambitu continentur, spectare potuit. Sicut enim soli, ex eo quod radij ipsius incidant in nubes longè infra positas, & multiplicem solis speciem ac varios colores ibidem exhibeant, nihil accedit; ita nec Deo quidquam accedit ex specie, varietate, pulchritudine, & multitudine rerum creaturarum, quæ infinito quodam interuallo infra ipsum sunt posita, & veluti in nihilo ex radio diuinæ lucis suspensa. Finis igitur quem Deus in creatione & gubernatione totius Vniuersi spectauit, debuit esse quid extrinsecum, quale est, habere filios similes sibi, participes gloriæ & beatitudinis diuinæ. Hoc fuit obiectum primæ volitionis liberæ & primæ intentionis quam Deus ex omni æternitate concepit, ex qua reliquæ omnes volitiones liberæ nostro modo concipiendi sunt secuta.

*Deo ex rebus
creatis nihil
commodi ac-
cedit, sicut
nec soli ex
rebus quæ
radio ipsius
illuſtrantur.*

4 Itaque integer finis constans est *finis cui & sine qui*, seu ex persona cui bonum appetitur, & bono quod appetitur, est, Deum habere filios sibi similes, gloriæ & beatitudinis diuinæ participes. Ad hunc finem diriguntur omnia quæ ipse operatur in creaturis vsque ad consummationem sæculi. Est huius rei aliqua adumbratio in causis istis naturalibus, præsertim animalibus & plantis, quæ cum perfectionem assecuta fuerint, generant sibi simile; & perfectionem quam habent, in alios transfundere per communicationem conantur. Maior & expressior est in sole, qui abundantia lucis suæ, cum in se sit perfectissimus, diffundit lumen, quod est imago lucis, in lunam & alia omnia, eaque lucida & sibi similia reddit pro capacitate cuiusque, non sui commodi causa, sed vt alia inde commodum accipiant. Boni enim, & maxime perfecti boni, esse se diffundere, & aliis quantum ad se est communicare; nempe vel per se, conferendo eadem specie vel numero naturam, vel per sui quamdam imaginem & imitationem: vt fusè & præclare tradit Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 4. parte 1.

*Integer finis
quem Deus
spectauit.*

*Boni proprie-
tas est se dif-
fundere.*

5 Simili modo Deus, cum sit bonum omnino infinitum & infinite perfectum, naturam suam propendet ad sui communionem; idque duplici modo, naturali & libero. Naturalis communicatio cum sit omnino necessaria, est æterna, per quam Pater Filio, & Pater ac Filius Spiritui sancto communicat totam suam essentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem, beatitudinem. Illa sit productione Verbi per intellectum, hæc productione Amoris per voluntatem. vtraque est ita plena & perfecta, vt per eam totum bo-

*Duplici mo-
do Deus se
communicat:
naturaliter,
& liberè.
Communicatio
naturalis est
æterna &
plena totius
boni.*

num

num quod communicatur, tam perfecte possideatur, quam sit in eo à quo communicatur.

Libera communicatione est duplex, per unionem hypostaticam, & per dona creata.

Præter hanc naturalem & æternam, est alia libera & temporalis. 6
Hæc duplex est: altera fit per unionem hypostaticam, altera per dona gratiæ & gloriæ. loquor enim de communicatione supernaturali, qua se communicat naturæ intelligenti. Ad illam Deus ex se non propendet, cum quamdam Diuinitatis humiliationem contineat; sed solum ratione miseriæ nostræ ad illam benignè se inclinavit, ut nos ab æterna morte liberaret, iustitiæ diuinæ pro nobis in nostra natura satisfactione exhibita. Ad hanc verò Deus ex se propendet, nempe ex sola bonitate sua, seposito omni merito, & omni necessitate creaturæ. Inchoatur hæc communicatio in hac vita per dona gratiæ, maxime per fidem, spem, charitatem: quibus virtutibus non solum efficimur Deo similes, sed etiam Deus nobis vnitur: perficitur verò in altera per dona gloriæ, nempe per lumen gloriæ, visionem Diuinitatis, amorem beatificum & gaudium beatificum; per hæc enim assequimur summam cum Deo similitudinem, qua maior nulla est possibilis, & efficimur perfecte filij Dei, & Deiformes, instar Diuinitatis fulgentes, & sanctissimæ Trinitatis imaginem excellentissimam in nobis præferentes: nam per lumen gloriæ efficimur similes Patri; per visionem diuinæ essentiæ & diuinarum personarum, Filio; per amorem, Spiritui sancto; per gaudium sumus Deo similes in beatitudine, & completur participati diuinæ beatitudinis in nobis. Verum de his alibi plura.

Lib. 2. De summo bono cap. 15. & 16. Obiectio.

Responsio.

Gloria accipitur dupliciter: obiectiua, & formaliter. Gloria obiectiua intrinseca Deo.

Dices: Id quod Deus vltimò spectat in conditione & gubernatione seruum, est sua gloria; omnia enim facit propter suam gloriam: ergo non est, habere alios sibi similes, & gloriæ suæ participes. Respondeo, negando consequentiam: Quia in hoc ipso consistit gloria Dei quam ipse intendit in omnibus suis actionibus æternis. Quod ut intelligatur, notandum, gloriam dupliciter accipi: Primò, pro quavis excellentia interna vel externa, ratione cuius dignus est quis cognosci, laudari, æstimari, honorari, amari. Secundo, pro ipso cognosci, amari, laudari, esse in admiratione, veneratione, &c. hoc enim propriè & formaliter gloria dicitur, quæ defini solet *clara cum laude notitia*: notitia inquam, quæ habetur de excellentia alicuius. Itaque duplex est Dei gloria; interna, & externa. Interna rursus duplex est; obiectiua, & formalis. *Obiectiua* gloria Deo intrinseca est ipsa Diuinitas, seu splendor & excel-

excellētia Diuinitatis, & Personarum diuinarum: ob hanc enim dignissimus est qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur, &c. sic passim in Scripturis excellētia Diuinitatis, & omnia huius excellētiæ signa dicuntur gloria Dei. Formalis gloria Deo intrinseca est cognitio, amor, & gaudium Dei de seipso: siue quod ipse à seipso infinite & adæquate cognoscatur, ametur, & cum infinito gaudio ac suauitate gustetur. Infinite enim maior est gloria Dei, quod ipsius bonitas & perfectio à se cognoscatur, ametur, æstimetur, quàm si amaretur & laudaretur ab infinitis Angelis & hominibus. In istis duobus sita est gloria Dei intrinseca, quam ipse ab æterno plenissime possedit, vnde ad hanc acquirendam, vel augendam mundum non creauit, sed propter aliam quamdam, quæ ipsi extrinseca est: quæ etiam duplex est. Altera enim est obiectiua, & consistit in excellētia & pulchritudine rerum creatarum, sed maxime filiorum Dei, vt sunt omnes Beati. Sicut enim gloria Principis sæcularis dicitur consistere potissimum in splendore & multitudine aulicorum: ita externa gloria Dei obiectiua consistit potissimum in splendore & multitudine aulicorum cælestium, secundario in aliis rebus creatis. Altera est gloria formalis, quæ sita est in Dei visione, amore, gaudio, & actibus hinc sequentibus: nimirum quatenus ipse à Beatis cognoscitur, amatur, gustatur, laudatur & benedicatur in omnem æternitatem. in hac re completur tota gloria Dei externa, & ad illam tota rerum creatarum species & pulchritudo ordinatur.

8 Ex quibus hæc duo non repugnant, finem, quem Deus vltimo spectat in omnibus operibus externis, esse suam gloriam, & finem quem spectat, esse habere filios suæ gloriæ participes, nam ipsa gloria Dei obiectiua extrinseca potissimum consistit in his filiis, cum in illis tamquam in imagine perfectissime reluceant, & represententur omnes diuinae perfectiones, multò magis quam in aliis rebus creatis, nempe ipsius potentia, sapientia, bonitas, pulchritudo, dulcedo, maiestas. Deinde etiam gloria formalis in ipsa sita erit, vel ab illis prouenit: gloria enim Dei formalis est excellētiā diuinā videri, amari, gustari. Atqui filij Dei per Dei visionem, amorem & gaudium formaliter perficiuntur & complentur in filiatione & similitudine diuina: iusti enim etsi in hac vita dicantur filij Dei, sunt tamen adhuc imperfectè filij, valde remoti à similitudine sui Patris, & perfecta Diuinitatis participatione; per visionem, amorem & gaudium beatificum omnino complentur

Aaaa

in

*Omnia excellētia signa dicuntur gloria in Scripturis.
Gloria formalis intrinseca Deo.*

Gloria Dei externa obiectiua.

Gloria formalis externa Dei.

*Ioan. 1.
Rom. 8.
1. Ioan. 3.*

in ratione filiorum, & fiunt similes Deo, supremo & excellentissimo modo. Eadem ergo hæc sunt, Deum habere filios gloriæ suæ participes, & Deum videri, amari, gustari, laudari à Beatissimis: per eodem enim actus utrumque præstatur.

Ex his perspicuum est, Primò, Quo modo Deus sit finis ultimus, cuius gratia omnia. Secundò, Quis sit finis, quem ipse sibi intendit acquirere, seu quod sit illud donum, quod ipse in operibus suis spectavit. Tertio, In quo consistat gloria Dei propter quam ipse omnia operatur.

Obiectio.

Dices: Deus in operibus suis non intendit ex illis capere aliquid commodum vel oblectationem, eò quod ipse sibi plenissimè ad omnem commoditatem & oblectationem sufficiat, ut ostensum est: ergo neque etiam ex illis intendit accipere gloriam, cum ipse sibi ad omnem gloriam sufficiens sit, siue de gloria obiectiva,

Cur Deus intendit gloriam, non alia bona. Voluptas, gaudium, commodum, sunt bona intrinseca, quæ in Deo augeri non possunt.

siue formali loquamur. Respondedo, negando consequentiam: alia enim est ratio gloriæ, laudis, honoris, alia voluptatis & commodi. Voluptas enim, gaudium, & sensus commoditatis, sunt bona intrinseca, ut per se patet: bona autem intrinseca cum in Deo sint infinite perfecta, crescere nullo modo possunt, nec vlla per res extrinsecas potest fieri illis additio. Ita enim Deus gaudet & delectatur bonis suis intrinsecis, seu seipso, ut nulla per infinita bona extrinseca possit huic gaudio fieri accessio. Dicitur quidem gaudere & delectari bonis nostris, quando vel à peccatis conuertimur ad ipsum, vel sanctè viuimus, & illum honoramus; verùm hæc gaudium non auget gaudium quo gaudet de seipso, nihil reale illi apponat: sicut nec visio qua videt res omnes creatas, aliquid reale aut aliquid perfectionis addit simpliciter intelligentiæ. Sicut enim simplex intelligentia possibilem se visio existentium, hoc ipso quo res existunt, absque vlla perfectionis accessione ad cognitionem diuinam: ita gaudium, quo ipse æterno gaudet de seipso suaque omnipotentia & sapientia, & de omnibus rebus possibili- bus quas videt in illa contineri, extenditur ad res creatas, & bona opera quæ re ipsa in tempore fiunt, ita ut dicatur de illis gaudere absque vlla accessione alicuius perfectionis. Itaque in rerum creatione & gubernatione non potuit intendere augmentum gaudij, delectationis, utilitatis vel commoditatis propriæ.

Gloria potest esse extrinsecum bonum.

Gloria verò per se non necessariò est bonum intrinsecum: omnis enim gloria Regum & Principum, quam tantopere mortales æstimant & suspiciunt, consistit ferè in rebus externis, in splendore auli-

aulicorum, magnificentia palatiorum, potentia militari, & similibus. Vnde etiam si gloria diuinæ non possit fieri aliqua intrinseca accessio, potest tamen fieri accessio extrinseca per realem additionem earum rerum in quibus gloria alicuius dicitur consistere. quod enim sunt plures filij Dei à quibus cognoscitur, amatur, laudatur; eò gloria Dei est maior: & hoc modo gloria Dei potest crescere. Itaque hanc gloriam Deus spectauit, & intendit sibi acquirere per omnes suas operationes extrinsecas.

*Gloria Dei
potest fieri
per accessio
extrinsecas*

12 Nec refert quòd gloria intrinseca quam ab æterno habuit, ipsi abundè satis erat: quia gloriam externam non petiit, quasi interna non sufficeret, sed quia id dignitati & excellentiæ diuinæ maiestatis congruebat. Cum enim essentia diuina sit infinitæ perfectionis & maiestatis, etiam infinite digna erat, quæ à creaturis cognosceretur, amaretur, & gustaretur. Vnde omnino conueniens erat, vt aliqua creaturæ conderentur à quibus hoc præstaretur. Hoc enim dignitati & maiestati diuinæ quodammodò erat debitum. Et si enim Deus plenissime suam essentiam videat, amet, & infinito gaudio eius dulcedinem gustet, hoc tamen non facit quin adhuc infinite digna maneat vt ab infinitis creaturis cognoscatur, ametur, gustetur, & laudetur, & vt in ipsis resplendeat, & specimen sui exhibeat. Sicut quia sol in se lucidissimus & pulcherrimus est, etiam dignissimus est vt in plurimis speculis toto orbe resplendeat, vt hoc modo eius pulchritudo quodammodò multiplicetur. Quare cum essentia diuina sit infinitæ pulchritudinis, licet perfectissime & plenissime in mente diuina splenderet, eamque infinite beatam efficeret, tamen dignissima erat vt etiam in mentibus creatis refulgeret, vt sic tantum bonum quodammodò multiplicaretur, quod alioquin in se vnicum & indubitabile erat, nec multiplicari poterat. Obiectum enim intelligibile per intellectionem accipit quoddam esse, per quod existit in intellectu, & quodammodò multiplicatur secundum multitudinem intellectuum & intellectionum, & splendet in intellectu, sicut sensibile obiectum in speculo.

CAPVT II.

Vtrum prima illa intentio, qua Deus ante omnem futurorum prouisionem statuit homines & Angelos facere participes gloriae suae, fuerit absque nota circa singulos in particulari, & circa mensuram gloriae cuiusque.

Huius rei cognitio dignissima est Theologo, & utilissima ad incitandum cursum vitae spiritualis, & diligentiam in ea excitandam, praeterquam quod animo maximam adferat consolationem. Itaque breuiter aliquid de ea dicendum nonnullis considerationibus adhibitis, quibus veritas declaretur, omnibus tamen quae de auxiliis diuinis, quibus ad finem Deo propositum perducimur, dici possent, omittis.

*Sententia
quorundam
recentiorum.*

Duae sunt hac de re celebriores sententiae. Prior est, primam illam intentionem fuisse absolutam circa singulos saluandos & mensuram gloriae cuiusque: Deum enim primo suo decreto statuisse condere caelestem Ierusalem, seu ciuitatem Beatorum, in certa mensura & proportionem partium, & simul elegisse omnes lapides, & singulorum lapidum magnitudinem, formam, locum & ordinem in illo aedificio; ita ut primaria intentio Dei sit mensura & proportio totius operis. Vnde iuxta hanc sententiam, in primo illo rationis signo ante omnem futurorum prouisionem absoluto decreto simul electus est certus numerus Angelorum, & certus numerus hominum, qui mensurae principaliter intentae congruebat, & cuique statuta certa mensura gloriae, ut ex omnibus exurgat pulchritudo proportionis, quam Deus primario intendit. Ut autem isti electi reddantur aliquo modo digni gloriae sibi decretae, in secundo rationis signo Deus statuit singulis dare eam meritorum mensuram, quae mensurae gloriae singulis praedeterminata respondeat, praedefiniendo in particulari omnia opera bona, magna & parua, (praesertim quae non supponunt peccatum,) quibus ad hanc mensuram perueniatur, & simul decernendo gratiam efficacem qua illa faciant. Haec duo instantia, seu signa rationis, dicunt pertinere ad ordinem intentionis. Ut autem Deus haec quae sic statuit, mandet executioni, utitur miris prouidentiae modis, qui non sunt decreti nisi post praesumptum peccatum, ex variis occasionibus toto temporis decursu occurrentibus.

Quod

14 Quod verò ad totam reliquam multitudinem hominum & Angelorum attinet, qui numero electorū non sunt comprehenti, dicunt, Deum in primo & secundo illo signo se erga illos habuisse negatiuè, nolendo illos se eligere, nec opera bona gratiamque efficacem vsque in finem pro illis preparare, & in hac nolitione consistere eorum reprobationem: vnde volunt eos omnes negatiuè reprobatos ante omnem futurorum præuisionem, etiam ante præuisionem peccati Angelorum vel primorum parentum. Addunt tamen, Deum voluisse omnes istos saluos fieri, non absolutè, sed sub conditione, si perseverent in iustitiā vsque in finem, vel si in statu gratiæ decederent: & in hunc finem præparasse illis gratiam sufficientem, non tamen efficacem saltem in fine, quando de summa rei agitur.

15 Hæc sententia mihi semper viua est à veritate & doctrina S. Scripturæ & sanctorum Patrum aliena, nec pietati & moribus satis consona: vnde à plerisque hoc tempore etiam in illis locis vbi antea vigeat, eam reiciit intelligo. Verum quia adhuc multi eam amplectuntur, proponam aliquot faciles considerationes, ex quibus veritas possit cognosci, & animis ex altera perturbatis subugnari. Primo igitur considerandum est, Deum sincero affectu *cupere omnes homines saluos fieri*, & maxime *omnes fideles Christi* cor-
 poti per Baptismum inuitos, idcirco *ipsum mortuum esse pro omnibus*,
 & non pro solis prædestinatis, vt hæretici docent. At quomodo hæc veritas possunt, si ipse ex se tam paucos ad salutem elegit? quomodo in eodem affectu potest desiderare salutem eorum, quos ex se noluit numero electorum comprehendere? quomodo desiderat sincero affectu eorum salutem, quibus nec perseverantiam, nec ullam gratiam efficacem pro eo momento in quo cardo salutis vertitur, præparauit, sed solum inefficacem & inutilem, per quam ex tam infinita multitudine nemo saluatur? Nec eorum culpā accidit quod Deus hæc illis denegarit, quia ante omnem præuisionem peccati denegata fuit. Quomodo potest ex se desiderare salutem eorum qui ab illa electione exclusi? ex quibus si vel vnus saluus fieret, sequeretur grauissima incommoda contra intentionem Dei: Primo, In numerum electorum irrueret aliquis non electus. Secundo, Non electus saluaretur. Tertio, Euerteteretur planè mensura supernæ ciuitatis primariò à Deo intenta: hæc enim mensura consistit in certo & determinato numero electorum, & in determinata mensura gloriæ cuique decreta: ex quibus exurgit pro-
 Aaaa ; portio

1. Tim. 2, 4.

1. Tim. 4, 10.

1. Tim. 2, 6.

portio & pulchritudo à Deo primario intenta. Perspicuum autem est, si vel vnus non electus intraret in hanc civitatem, mensuram illam euertendam. Vnde vltèrius perspicue sequi videtur, Deum non solum non posse desiderare illorum salutem, sed etiam ad eius prouidentiam pertinere vt omnia sic disponat, vt nemo ex illis non electis saluetur: quia ad prouidentiam cuiusque opificis, qui in suo opere certam mensuram constituit, pertinet curare ne quid eueniat quo proportio pereat, aut mensura ab ipso in opere designata euertatur. Declaratur exemplo. Architectus constituit extruere magnificum palatium, concepta primum eius forma & magnitudine, & partibus omnibus partiumque mensuris, & simul seligit ex innumeris saxis certum numerum, signatque singula, & formam locumque singulorum designat. Ad prouidentiam huius architecti pertinet non solum curare vt omnia saxa signata aptentur, & suis locis collocentur, sed etiam ne alia non designata, quibus proportio concepta euertetur, in structuram intrent. Idem ostenditur exemplo conuiuij nuptialis. Constituit sponsus habere centum conuiuas in suis nuptiis, instructus ad hoc mensa accommoda, & dispositis centum orbibus & sedilibus; & designatis animo centum personis quæ mensam & loca impleant. His ita animo designatis & firmiter constitutis, non solum ad prouidentiam sponsi pertinet curare vt designati veniant, & sedes sibi decretas occupent, sed etiam ne plures veniant, & in conuiuium irrepant: quia pluribus locus paratus non est, & proportio principaliter intenta feriret. Simili modo etiam Deus in fabrica celestis palatii (quod ex hominibus & Angelis tamquam viuis lapidibus constare debet) ex se constituit mensuram totius palatii, & singularum eius partium, & omnes lapides in particulari elegerit, eorumque mensuram & locum determinauerit, ad eius prouidentiam pertinet curare non solum vt singuli lapides electi suis locis apte ponantur, sed etiam ne alij non designati addantur, quia proportionem edificij apte conceptam euertent. Item ad curam celestis sponsi spectabit, curare ne plures veniant quam qui initio designati, quorum numerus exacte mensam & mensuram conuiuij impleat.

Ne maiorem gloriam merentur. Neque solum ad ipsius prouidentiam pertinebit cauere ne aliquis non electus irrepat, sed etiam ne quis electorum maiorem gloriam meratur, aut maiora merita habeat, quam ipse ab initio ex se illis decreuit. Quicumque enim artifex in suo opere, vel etiam in partibus operis certam mensuram ex se constituit, ad eius curam

Ad prouidentiam opificis pertinet curare vt mensura constituta non euertatur.

Ne maiorem gloriam merentur.

curam pertinet providere non solum vt singula mensuram sibi constitutam attingant, sed etiam ne illam excedant: vtroque enim modo mensura constituta euerteretur. Quare si Deus ex se ante omnem præuisionem peccati, singulis electis constituit certam gloria, gratia, & meritorum mensuram; ad ipsius prouidentiam pertinet procurare non solum vt mensuram præfinitam attingant, sed etiam ne eam excedant. Confirmatur: Quia auctores illius sententiæ fatentur, neminem eam mensuram, quam Deus singulis ex se constituit, vquam excedere. At quomodo id fieri potest sine peculiari Dei ad hoc inuigilantis prouidentia? quomodo in tot electorum myriadibus omnes attingunt mensuram constitutam, & nemo vel minimum illam excedit; nisi id peculiari Dei prouidentia procuraretur? Hæc omnia videntur adeo perspicua, vt contrarium vix animo concipi queat, supposita illa sententia, si res attentè consideretur.

18 Secundò considerandum, Deum in Scripturis omnes vocare ad salutem, omnes iustos hortari ad perseverantiam, & ad assiduum in iustitia profectum, omnibus perseverantibus promittere vitam æternam, omnibus non perseverantibus, & omnibus peccatoribus minari damnationem, & in his ferè consumi totam Scripturam: huc enim cetera omnia referuntur. At posita illa sententia, non videtur hæc sermō & ex animo facere, sed solum in speciem, vt videatur in non electos benignus, & in electos iustus ac seuerus. Quomodo enim sermō potest vocare & promittere salutem ijs, quos ipse nouit se nullo modo electorum exclusisse, non illorum merito, sed suo arbitrio. Sicut enim is qui centum despiciat conuiuias quibus mensa impleatur, si totam ciuitatem vocaret ad conuiuium, & vrgere singulos vt venirent, adhibitis etiam mini & promissis, vel sibi putaretur esse contrarius, vel humulatoriè agere & illudere hominibus: ita Deus si certum numerum ex se designauit & elegit quibus cæleste conuiuium impleatur, non videbitur sermō vocare & vrgere alios quos nouit illo numero non comprehensos. Si enim venirent & obtemperarent vocationi, sequerentur illa incommoda quæ supra diximus: saluarentur enim non electi, & proportio principaliter intentâ disturbaretur. Simili modo non videtur tales sermō posse hortari ad perseverantiam: quia optimè nouit se illis in primo illo decreto perseverantiam non præparasse, sed solum gratiam inefficacem pro extremo salutis articulo, & simul nouit, eos quibus ipse eam ex se non præparauit, numquam perseverantiam habituros.

Idem

Mat. 11, 28.
& c. 24, 13.
Apoc. 22, 17.
Ezech. 18.
per totum.
Apoc. 21, 8.

Non videtur sermō vocare & hortari reprobos.

Idem dico de quouis bono opere: si enim ipse illud opus ex se illis non prædefiniuit, numquam illud faciunt. Nouit autem ipse, se illud non prædefiniuisse: quomodo ergo sermo ad hoc hõitari, aut illud præcipere potest? Quomodo præcipere potest vt faciamus opera bona quæ ipse noluit prædefinire, & ad quæ gratiam efficacem noluit dare; cum sciat numquam aliquid boni futurum, nisi ipse id prædefinierit, & gratiam efficacem ad id dederit?

Non videtur sermo minari electis.

Rursus non videtur sermo posse suis electis minari damnationem, cum absolute statuerit vt sint salui. Quomodo potest dicere, *Nisi seruaueritis mea præcepta, vos reijciam*; cum ipse absoluto decreto statuerit efficere, vt seruent præcepta, & sciat illam conditionem poni non posse? Ex vi enim decreti diuini fit, vt omnino sit impossibilis illa conditio, sub qua damnationem minatur. Itaque minatur rem impossibilem sub conditione impossibili. Nec refert quod possibile illis sit non seruare præcepta, considerata intrinseca dispositione voluntatis: quia cum tali dispositione & libertate potest stare impossibilitas absoluta, sicut patet in Christo, qui etiam spectata interna dispositione voluntatis, (seclusa uisione beatifica) potest non seruare præcepta diuina; absolute tamen id ei erat impossibile, propter assistentiam diuinam debitam illi animæ rationis unionis hypostaticæ. At similis assistentia debita est electis ratione absoluti decreti diuini, respectu omnium operum bonorum quæ ipsis sunt decreta, & respectu perseverantiæ. Sicut ergo Deus non poterat sermo minari animæ Christi damnationem sub conditione, si non seruaret præcepta; quia conditio illa absolute scilicet omnibus consideratis erat impossibilis, eò quod Deus quodammodo tenebatur illam impedire: ita etiam tales minæ non erunt seriæ erga electos, quia impossibilis est conditio, cum Deus ex vi sui decreti teneatur illam impedire.

Non rectè hæc solui exemplo præscientiæ.

Quidam putant, se hæc omnia posse soluere exemplo præscientiæ: Deus enim certissime præscit qui sunt damnandi, & tamen eos vocat ad salutem, & promittit uitam æternam, idque non simulatorie, sed sermo & ex animo, desiderans vt salui fiant: & tamen idcirco non cupit aliquid fieri contra suam præscientiam. Ergo similiter etiam si eos non cregerit, & sciat eos non saluandos, potest eos sermo vocare cum sincero salutis eorum desiderio: nec idcirco cupit aliquid fieri contra primum suum decretum.

Verum falluntur, neque reuera salutis introspiciunt: longè enim est alia ratio præscientiæ, alia electionis & decreti quo statuit illos non

non eligere. Præscientia enim qua præscit hos damnandos, pendet obiectiue ab eorum operibus malis, quæ ipsi liberè sunt facturi; estque ratione (etiam non tempore) illis operibus posterior, tamquam consequens ex illis. Ideò enim præscit illos malè victuros

Præscientia pendet obiectiue ab eorum operibus licet.

vsque in finem, quia ipsi id liberè facturi sunt, non contrà, vt passim sancti Patres docent. Decretum autem reprobationis negatiuæ, vel exclusionis è numero electorum, nullo modo pendet à libertate illorum, quia ante omnem præuisionem futurorum ita statutum est. Itaque etiam si sciat illos non secuturos & damnandos, tamen potest eos sermone vocare, & promittere salutem, quia potest sermone desiderare eorum salutem, & dolere quòd dammentur. Vnde facit quidquid ad salutem eorum ex parte ipsius est necessarium.

Iustin. q. 58. Origenes 17. in Ep. ad Roman.

Hieron. in c. 26. Ierem. August. 1. De Ciuit. cap. 10.

Cyrillus 9. in Ioannem cap. 1.

Damasceus in tract. contra Manichæos.

21. Neque idcirco cupit aliquid fieri contra suam præscientiam; sed cupit aliquid fieri, quod si fieret, non esset in illo ista præscientia: imò velle, vt sic dicam, se non habere illam præscientiam, quatenus velle non esse obiectum à quo illa præscientia suo modo pendet. Hoc autem dici non potest de illo decreto, quo illos è numero electorum exclusit, & negatiue reprobauit: hoc enim cum non pendeat villo modo à libertate hominis, sed Deus ex se illud conceperit, dicere non possumus quòd Deus velle non esse tale decretum. imò cum illud ex se conceperit, debet velle illi conformia, & nolle ea quæ illi non sunt conformia. Conforme autem illi non est vt reprobi re ipsa saluentur, vt ostensum est: ergo non potest sermone illorum salutem desiderare, eoque sermone vocare, hortari, salutem promittere. Confirmatur: Quia nemo prudens potest sermone & ex animo desiderare, hortari, præcipere vt fiat id, quod, si re ipsa fiat, repugnabit operi antea designato, vel decreto antea concepto. Atqui si vel vobis non electus saluus fieret, accideret aliquid repugnans operi designato, & primis illis decretis, vt ostensum est. Nihil autem horum sequitur ex præscientia.

22. Tertio considerandum. Deum sæpe conqueri de peccatoribus, quòd cum ipse faciat omnia quæ ad illorum salutem opportuna, & nullum boni pastoris & benignissimi patris officium prætermittat, illi tamen nolint contemperare, nolint fructum bonorum operum ferre, nolint credere. Isaie 5. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui vt faceret vinas, & fecit labruscas?* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit!* Denique plena est sacra Scriptura huiusmodi querimoniis. at posita illa sen-

Bbbb tentia,

tentia, respondere possent Iudæi peccatores, Quomodo nos vocat vineam suam peculiariter dilectam & electam, quos & numero electorum exclusit & reprobavit non nostro merito, sed solo suo arbitrio? quomodo dicit se omnia nobis fecisse, quæ conveniebat bonum cultorem facere, ita ut nihil ultra merito possit requiri, cum non præparaverit nobis gratiam illam efficacem (sine qua omnis vinea rationalis est sterilis) idque solum id eo, quia nouerat nos à se non electos? quomodo expectavit vvas bonorum operum, cum illa opera non prædefinierit, nec gratiam efficacem ad illa præparaverit? quomodo potest conqueri, quod illi quos ipse ex se reprobavit, (quibus nec bona opera, nec gratiam efficacem, sed solum inefficacem decreuit,) bona opera non faciant, cum ipse optimè sciat, nullum unquam fieri bonum opus, nisi ipse illud efficaciter decreuit, & gratiam efficacem de industria ad hoc selegerit? Nec sufficit si dicas, Possent fieri: quia frustra est potentia, quæ nullo unquam tempore in nullo hominum reducatur ad actum. Omitto multa alia quæ hic considerari possent.

Psal. 144.
Sap. 11, 24.
1. Tim. 2.
& 4.
Matth. 11,
28.

Quarto considerandum, ex Scripturis manifestè colligi, Deum 23 omnibus, præsertim fidelibus, dare auxilium verè sufficiens quo possint omnia mandata implere, & saluari. Posita hac sententia in non electis, quibus omnibus talem dat gratiam, vel eo modo & cum illis circumstantiis illam confert, ut nemo ex illis mandata seruet, aut perseueret, aut salutem consequatur, aut vllum opus bonum faciat, nisi ipse illud in particulari ex se prædefinierit: quæ ratione illa gratia potest dici sufficiens, quæ eo modo datur ut nemo illa utatur, nemini sit salutaris & fructifera? Nemo dixerit medicamentum ad curationem morbi esse verè sufficiens, quod innumeris mortalibus eo morbo laborantibus applicatum, eorum nemini quidquam solatij attulit. Pari ergo modo nec gratia illa vel auxilium poterit dici verè sufficiens, quæ eo modo datur, ut nemo quam effectum habeat: tali autem modo semper datur, nisi opus autè à Deo sit prædefinitum.

Vbi merito quæri potest, quid causæ sit cur gratia nunquam 24 habeat effectum, nisi Deus illum effectum antea ex se prædefinierit? unde id prouenit? Sanè non potest id prouenire nisi ex aliquo horum trium capitum, (nulla enim alia causa fingi potest) nimirum, vel ex eo quod tunc datur gratia adeò tenuis, ut nemo cum illa operari commode possit, vel quia datur adeò incongrua ingenio hominis, ut nunquam ad ea utendum voluntas se applicet,

cet; vel quia Deus de industria seligit eam, quam videt non habituram effectum, eamque dat quia effectum non prædefiniuit. Sicut enim quando effectum prædefiniuit, seligit eam quam scit fore inefficacem: ita quando non prædefiniuit effectum seu opus bonum, si velit aliquam gratiam conferre, videtur debere seligere eam quam nouit carituram effectum. Nihil tamen horum secundum sanam doctrinam dici potest. Non tertium, quia impium est dicere, Deum, eò quòd non prædefinierit opus, seligere homini gratiam inefficacem, ne videlicet opus à se non prædefinitum fiat, hoc enim esset sub specie misericordiæ insidiari hominum salutem. Vnde ut hoc euitent, dicunt, Deum non seligere pro reprobis gratias inefficaces, sicut pro electis efficaces; sed relinquere eos communi providentiæ, & secundum ordinem communis providentiæ illis gratias conferre. Sed hoc etiam videtur incredibile: hinc enim sequeretur, hunc ordinem communis providentiæ talem esse, ut nemo unquam per illum saluus fiat, aut bonum opus operetur. Quod si ita est, cur Deus illum instituit, cum optimè sciret, neminem eorum qui illi ordini relinquuntur, saluandum: ad quid ille ordo seruit nisi ad maiorem hominum damnationem?

25 Non etiam primum vel secundum dici potest, quia sic tolleretur auxilium verè sufficiens, effectum carens, sed solum efficax erit sufficiens. Gratia enim quæ ad eò est tenuis, vel ad eò incongrua hominum ingeniis, ut nemo unquam ex tam infinita multitudine tanto tempore per illam sit bene operatus, nec operaturus, non potest moraliter censeri sufficiens ad bonum opus, spectata hominum conditione. Ut enim verè sit sufficiens, debet esse talis ac tanta, ut saltem aliqui illa aliquando vrantur, & faciant opus bonum: alioquin si ex se talis sit, aut tali modo & cum talibus circumstantiis detur, ut nemo illa vtatur, moraliter censetur insufficientis. Vnde enim potest iudicari sufficiens, nisi aliquando effectum habuerit? Deinde si gratia illa ad eò est tenuis vel incongrua, ut numquam habeat effectum, cur Deus illam instituat pro tam infinita hominum multitudine? cur homines per illam vocat?

26 Quintò considerandum, sententiam illam non videri satis consonam diuinæ bonitati, quæ sicut est omnium finis, ita se cupit omnibus communicare. Vnde non est illi consentaneum, ut in bonis quæ naturæ rationali ex se ante omnem præuisionem futurorum præparat, aliquos excipiat. Si ergo ex solo suo beneplacito

Non videri
consonam di-
uina boni-
tati.

statuere voluisset absolute de saluandis, non elegisset tam paucos, nec preparasset tam exiguos gloriæ gradus pro multis, nec tam imperfecta opera illis decreuisset: sed vel omnes, vel quam plurimos & maiores gloriæ gradus & opera perfectiora prædestinasset: quæ enim Deus ex se decernit, perfectissima sunt in suo genere. non cupit ipse vt tepide operemur, vt exiguam bonorum operum aut gloriæ mensuram habeamus. Non ergo credibile est, illum ista ex se sic absolute statuisse.

Deinde, non videtur credibile, Deum ita statuisse de omnibus istis, sicut nemo sapiens, si res ipsius arbitrio committeretur, statuendum putaret, aut eo modo quo homines, si apprehenderent, offenderentur, & omnem sollicitudinē salutis deponerent. Quod enim Deus ex se statuit, adesse est consentaneum eius bonitati, vt neminem offendere queat. Confirmatur: Quia Deus ex se seu sola sua bonitate numquam aliquid statuit quod sit perniciosum creaturæ, & ad ipsius tendat perditionem: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione viuorum.* & alibi per Oseam dicit: *Perditio tua Israël, (id est, tibi imputandæ,) sicut unum modum in me auxilium tuum.* atqui illa negatiua reprobatio, qua excluduntur à numero electorum, & eorum quibus preparatum est auxilium congruum, est perniciosa creaturæ, & non tendit per se nisi ad eius exitium, quod non obscure fatentur Auctores illius sententiæ, cum dicunt, *illam non cadere sub Christi meritum, quia (inquiunt) Christus non venit animas perdere, sed saluare.* Itaque fatentur, reprobare hoc modo nihil ex parte rei esse aliud quàm ~~non salutem~~ animas, sed perdere. Idem confirmat euentus, quia nemo sic reprobatus saluatur: imò infallibiliter ex ea sequitur damnatio, quia ex illa necessario sequitur, vel potius in ea includitur denegatio perseverantiæ, & omnis auxilij, quo nouit salutem, securam, si daretur.

Sap. 1.

Osee 13.

Denique non est consentaneum diuinæ bonitati, vt ex se ita statuat de hominibus & Angelis, vt melius sit illis non esse quàm esse, & vt creatio non censeatur loco beneficij, sed potius summi maleficij. Quod enim melius sit non esse, quàm esse cum tali reprobatione, manifestum videtur; nec putō quemquam fore qui non præoptaret desinere esse, quàm sic esse, & expectare certissimam damnationem: quod enim de Iuda dictum est à Domino, *Bonum erat & si non fuisset natus homo iste*, propter damnationem quam certò præuidebat, dictum est. Atqui eo ipso quo Deus aliquem in primo illo signo reprobat, certissime nouit eum damnandum.

Matth. 26.

dum. De omnibus ergo illis rectè dici potest: Bonum erat vobis si Deus vos non creasset. Quid ergo beneficij confert illos sic creando; cùm melius illis sit non creari, sed relinqui in suo nihilo? quas gratias illi debent pro tali Beneficio, quod melius esset non accepisse? quis non putet ingens malum, vnde nihil vniquam sequitur nisi æterna damnatio?

Nec obstat quod etiam in nostra sententia omnibus reprobis melius esset non esse quàm sic esse, nempe cum ista reprobatione: quia istam reprobationem non habent primitus & originaliter à Deo, sed à seipsis suisque peccatis, quibus Deus quodammodo coactus est illos reprobare. Itaque sibi illud imputare debent, non Deo. At verò in aduersa sententia, reprobatio est originaliter à Deo ante omnem peccatorum præuisionem, ac proinde Deo hoc malum imputari videtur.

29 Dices: Deus constituit reprobos in certo ordine rerum, in quo certissimè nouit eos damnandos; & tamen non possunt idcirco conqueri de Deo, neque possunt id censere loco maleficij, sed beneficij; ergo neque quòd illos negatiuè reprobauerit. Respondeo, negando consequentiam. est enim longè dispar ratio. Primò, Quia Deus non constituit quemquam in tali ordine, eò quòd sit reprobus, vel non electus (cùm nemo sit reprobus ante præuisionem finis in peccato,) sed ob alias causas ad communem rationem prouidentia pertinentes. Secundò, Quia Deus non decernit ex se totum illum ordinem rerum (sicut decernit negatiuam reprobationem) sed posteriora propter priora, uerbi gratia, subtractionem gratia propter præuisionem peccatum, diminutionem auxiliorum propter teporem, & sic de ceteris in tota illa serie occurrentibus. qua in re nihil facit quod à summa bonitate possit videri alienum, cùm ratio iustitiæ id exigat. Secus est de illa prima reprobatione.

Ex his perspicuum videtur, si vera est illa sententia, exceptis paucis electis, reliquos omnes nullas debere gratias Deo de omnibus beneficiis ipsis collatis: quia tantum malum est ista negatiua reprobatio, ut melius sit non esse, quàm cum illa omnibus istis beneficiis abundare; cùm per illam omnia reddantur inutilia, nisi quatenus prodesse possunt ad minorem damnationem.

30 Sextò considerandum, illam sententiam non videri satis consonam iustitiæ diuinæ, neque satis in ea apparere quæ ratione Deus iuste iudicabit hunc mundum. Nam quod ad electos attinet, parum laudis vel præmij mereri videntur, quòd multa bona opera

*Non videtur
consonam
iustitiæ.*

fecerint, quòd perseverantiam habuerint, cum Deus ex nudo suo beneplacito, absque villo respectu ad eorum cooperationem preuisam, absoluto decreto hæc omnia illis præparaverit, & dase constituerit, & ad singula gratiam efficacem selegerit. Quid mirum si facias opus quod Deus absoluto decreto prædefiniuit vt facias? quid laudis tibi debeat quòd facias opus, quod impossibile est te omittere? Quod verò ad non electos attinet, quomodo non habebunt excusationem? merito que poterunt dicere: Domine, quid mirum si opera misericordie quæ memoras non fecimus? tu nullum istorum nobis præparasti, nullum prædefiniuisti. quis vnquam aliquid boni fecit, nisi tu ante ex nudo beneplacito tuo illud donare efficaciter decreueris? quomodo nos condemnas ob id quod non constituisti dare? Si dicat Iudæus, Ego paratus eram dare, sed tua culpa impediuisti nolendo cooperari gratiæ meæ, opponet reus, Quomodo paratus eras mihi dæra, qui nunquam dedisti alicui aliquid boni operis, nisi illud ante ex tuo beneplacito absolute decreueris? mihi autem non decreuisti. Quomodo paratus dare, cum nec opus ipsum prædefinieris, nec gratiam ad illud efficacem præparaueris, sed eam selegeris quam sciebas fore inefficacem? Cum enim scires te opus non prædefiniuisse, cauisti ne dares gratiam efficacem, ac proinde si aliquam dare volebas, oportebat seligere inefficacem. Magnum enim esset incommodum, si aliquis non electus re ipsa bona opera à te non prædefinita faceret, & in iustitia perseveraret, & in numerum electorum irreperet. Hæc & similia possent reprobi obmurmurare: nec facile est videre, qua ratione, illis queat satisfieri, sic vt omnes intelligant eos iuste damnari. & tamen toti mundo luce clarior esse debet illius Iudicij iustitia.

*Tolle Zelum
animarum.*

Septimò considerandum, hanc sententiam maxima ex parte videri tollere zelum animarum. Si enim omnes qui saluabuntur sunt electi absoluto decreto ante omnem preuisionem futurorum: ergo siue ego laborem in vinea Domini, siue non, omnes æque saluentur, nemo ex illis peribit, nemo præsertim minus gloriæ obtinebit. Si enim ego non laborem, Deus exequetur sua decreta per alios. Cui sim sollicitus de eo quod ex vi decreti diuini certissimè est euenturum, etiamsi ego quiescam?

Dices: Magnum bonum est, & Deo gratissimum, vt qui absoluto decreto electi sunt ad salutem, per nos saluentur, seu vt diuinam decretum per nos executioni mandetur: & hoc sufficit vt in nobis zelum hunc excitemus. Sed reuera hoc non est quod in san-

ctis

Etis viris hunc zelum excitat, sed potius persuasio illa & spes, qua sperant suâ operâ aliquas animas saluandas, quæ alioquin periturae erant; quæ persuasio & spes excludit illam electionem absolutam & reprobationem negatiuam. Si contrarium persuasum haberent, parum mouerentur, & mallet in suis cubiculis suauiter vacare rebus diuinis, quàm per exæras regiones inter barbaros & hæreticos tantis laboribus & periculis cum tanta mentis distractione & iactura diuinæ contemplationis currere, & procurare id quod æquè benè absque illorum labore erat futurum. Sed *charitas Dei urget illos*, vt oues aliquas errantes alioquin perituras ipsi lucentur, & vt multos ad maiorem perfectionem & gloriam promoueant, quam sine eorum labore illi fuissent habituri. Hic planè videtur communis Sanctorum & Christianorum sensus.

2. Cor. 5.

34 Octauo considerandum, ex illa sententia plurimum videri mi-
 nuî beneficium redemptionis, & gratitudinem quam Christo de-
 bent omnes electi ratione redemptionis & omnium gratiarum
 quas in vita accipiunt, & salutis æternæ quam obtinent: quia et-
 iam si Christus eos non redemisset, æquè benè illi erant saluandi, &
 in eadem sanctitatis & gloriæ mensura. Quod illi Auctores faten-
 tur, & necessariò fateri debent, cum ponant electionem omnium
 & singulorum factam ad certum sanctitatis & gloriæ gradum ante
 omnem præuisionem futurorum, & independentem ab hoc vel illo
 modo exequendi. Vnde etiam docent, Si Adam non peccasset, eof-
 dem nihilominus tunc saluandos, qui modo saluantur, non plures
 nec pauciores, nec in alio sanctitatis & gloriæ gradu: sed Deum
 tunc per alia media suam electionem fuisse executurum. Præuiso
 autem peccato Adami, ommissis illis medijs, statuisse illam execu-
 tionem mandare per Christum, ordinando illum nobis in Redem-
 ptorem per ipsius passionem & mortem. *Quæ* si vera sunt, iam
 Christus per suam passionem non erit causa cur aliqui non dam-
 nentur, neque etiam proprie erit causa cur saluentur: (nam etiam si
 passus non fuisset, illi æquè ex vi diuini decreti saluandi erant, nec
 damnari poterant) sed solum erit medium & instrumentum exe-
 cutionis decreti diuini, sicut dispensator Regius est instrumentum
 per quod distribuuntur munera ijs quibus Rex illa dare decreue-
 rat: qui dispensator si deesset, non deesset alius per quem distribu-
 rentur. Vnde vltèrius sequitur, Christum nihil gratiæ, nihil sancti-
 tatis, nihil gloriæ electis attulisse per omnes suos labores & passio-
 nes, quod etiam sine illo habituri non erant. Si ita est, sanè modi-
 cum

plurimum
 imminuit be-
 neficium re-
 demptionis.

cum

cum erit (vt videtur) redemptionis beneficium, & parua ei debetur gratiarum actio. Totum enim bonum quod per illum nobis obuenit, iam nostrum erat in absoluto Dei decreto, & nobis omnino obuenire debebat, siue per Christum, siue alio modo. Non ergo aliter nostra sanctitas & nostra salus est beneficium Christi, quam eleemosyna à domino mihi constituta, & per famulum allata, est beneficium famuli, præsertim si famulus per multos labores & pericula eam attulisset. Quæ omnia videntur valde aliena à communi sensu sanctorum Patrum, & Scripturæ sacræ. ita enim loquuntur de Redemptione Christi, ac si absque illa nemo saluus esse posset, sed cunctes essent perituri ac damnandi: nec salus ex vi decreti diuini nobis aliunde esset proventura. item, nos esse electos & prædestinatos ante mundi constitutionem ex Christi meritis, ac proinde non solum executionem ad Christum referendam. Omitto alia quæ ex illo principio deduci possent; vt, nihil profuisse Apostolis ad maiorem sanctitatem & gloriam, quod cum Christo versati, & ad munus Apostolicum delecti: omnes illos qui per ipsos conuersi sunt & saluati, non minus fuisse aluandos, etiamsi Apostoli illis non prædicassent: omnes Indos & Iapones qui per B. Xauerium salutem adepti sunt, non minus salutem adepturos fuisse, et si ipse ad illos non nauigasset, & alia his similia.

Isaie 53.
Act. 4. 12.
Rom. 5.
Heb. 2.
Eph. 1.

Omnes qui
modo dam-
nantur, fuisse
dammandos
etiã Adamo
non peccan-
te, & perse-
uerante sta-
tu innocen-
tiæ.

Debuissent
nasci ex eadẽ
semine, & ali-
iisdem. bis
in statu inno-
centiæ, qui-
bus modo.

Nondò considerandum, ex illa sententia non solum deduci, omnes qui modò saluantur, fuisse etiam saluandos, si Adam non peccasset, & Christus non esset passus: sed etiam omnes qui modò damnantur fuisse in illo statu rerum dammandos. Ratio est; Quia sicut illi electi ante omnem futuram præuisionem, ita hi in eodem rationis signo negatiuè reprobati. Vnde eorum reprobatio nullo modo pendeat à præuisione peccati Adami, aut alterius cuiusquam, aut etiam à præuisione peccati proprii futuri, vt ipsi fatentur: ac proinde, etiamsi Adam non peccasset, illi mansissent reprobati, & consequenter etiam in statu innocentie perire debuissent. quod quo modo dici possit, non video. Rursus, omnes homines tam reprobi quam electi (sed præcipue electi) in statu innocentie debuissent nasci ex eodem semine ex quo modò nascuntur, & ali iisdem cibus quibus modò aluntur: quia non solum animæ, sed etiam corpora in primo illo signo prædefinita, ac proinde ex eadem prorsus materia ex qua modò constant, in illo statu constare debuissent. Hoc autem fieri non poterat, nisi eodem semine & sanguine conciperentur, & iisdem postea alimentis vterentur, vel sal-
tem

tem ijs qui eadem constant materia. Quæ omnia sine specialissima & maxime extraordinaria prouidentia & procuratione Dei fieri non potuissent; quæ sine solido fundamēto non est asserenda.

37 Decimò considerandum, illum modum electionis videri tollere omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis sibi procurandæ. Quisque enim apud se ita ratiocinari poterit? Vel sum de numero illorum electorum, vel non sum. Si sum de isto numero, impossibile est vt damner; nam diuinum decretum est absolutum & efficax, cuius effectum nemo impedire potest. Etsi enim possim damari spectata intrinseca liberi arbitrij dispositione & mutabilitate; tamen vt subsum illi decreto, absolute non possum. Non est ergo quoddam metuam damnationem, supposita illa electione. Vt autem illa electio ponatur aut non ponatur, non pendet vllò modo ex meis operibus, vel mea sollicitudine, quia ante omnem præuisionem futurorū ex sola Dei voluntate posita est vel non posita.

38 Simili modo non est quoddam sim sollicitus de bonis operibus vel perseuerentia; quia si sum ex illis electis, hæc omnia in particulari mihi sunt decreta & preparata absoluto decreto, verbi gratia, vt tali momento habeam tale opus, & illo tale, & sic de ceteris in particulari; & vt singula sic fiant, decreta est pro illis momentis gratia efficax, quæ infallibiliter me faciet singula operari sicut sunt decreta. Impossibile enim est vt Deus non impleat decreta sua, quæ absolute & efficaciter statuit. cur ergo sim sollicitus? sit potius (vt humano more loquar) sollicitus ille vt decreta ipsius impleantur. Pari ratione non est cur sim sollicitus de profectu, quia certa mensura gloriæ & meritorum iam est præfinita ex solo Deo beneplacito, quam ego numquam per meam sollicitudinem excedam. Sanè non video quæ ratione efficacius omnis sollicitudo benè viuendi ab animis hominum abstergi queat.

39 Si dicas, Deus decreuit vt sis sollicitus, respondebit ille: Si hoc decreuit, excitabit me, & faciet vt sim sollicitus, & vt fiat omne id quod decreuit: quid ego opus est vt ego me ad sollicitudinem excitem? siue enim ego me excitem, siue non excitem, semper fiet id quod ipse absolute ante omnem meam excitationem præuisam præordinauit: quia ipse prædefinitio est efficax, nec pendet à præuisione meæ liberæ excitationis. Idem dicetur de impletione mandatorum, & omnibus ad salutem necessariis.

Si verò non sum ex illis electis, frustra etiam sum sollicitus, frustra à præcepta seruo, frustra consilia Christi & viam perfectionis sector;

Cccc quia

Tolle sollicitudinem bonorum operum & salutis.

quia certissimus sum, hæc omnia nihil mihi reipsa profutura ad salutem: non enim per ista possum intrare in numerum illorum electorum, extra quem nemo saluatur. Confirmatur: Quis etiam si diu bene vixero, tandem occurrerit aliqua tentatio in qua denegabitur mihi gratia congrua, & sic cadam in peccatum, & damnabor. Quod si ex illis negatiue reprobatis reipsa mille vel duo milia extraordinaria quadam diligentia essent saluanda, quisque posset adhuc aliquam spem concipere, & conari vt saltem sit in isto numero. Sed cum certissimum sit (in hac sententia) neminem omnino ex illis saluandum, non video quid eos ad sollicitudinem excitare queat.

Nec refert, si dicas illos negatiue reprobatos posse saluari: quid enim prodest potentia quæ a modo quo homini confertur, & circumstantiis talis est vt semper sit separata ab actu? Longè satius esset tali potentia carere, quia cedit in maiorem damnationem. Deinde, non sola impotentia intrinseca tollit conatum, sed etiam certitudo frustrationis effectus. Cur enim quis conetur & sollicitus sit, si certus est tandem aliquo casu se frustrandum sine intento?

Dices: Nescimus in hac vita qui sint electi, qui reprobi, & ideo semper debemus esse solliciti vt bene operemur. Verum hoc rectè in nostra sententia dicitur, iuxta quam ipsa electio & reprobatio pendet quodammodo ab operibus nostris: quæ consideratio merito summam sollicitudinem in nobis excitare debet. Non autem in sententia aduersa, quæ electionem & reprobationem statuit iam factam independentè ab omnibus operibus nostris: deinde non solum salutem, sed etiam omnia opera bona quæ vniquam fient, in particulari statuit prædefinita ante præuisam nostram cooperationem, & similiter gratiam congruam ad singula. Cur sim sollicitus de eo, quod sic absolute cum tali auxilio præuiso est præordinatum? Imò viderer potius diffidens de diuina prouidentia, si sollicitus essem: sicut si essem sollicitus vt sacramenta habeant suam effectum quando debito modo celebrantur & suscipiuntur, essem iniurius in Deum, quia diffiderem ipsius prouidentia, quasi effectus quem ipse absolute statuit & prædefiniuit, possit non sequi. Ergo simili modo, si ipse absolute prædefiniuit omnia bona opera in particulari quæ fient in mundo, & gratiam congruam ad illa selegit, iniurius videbor in Deum, & diffidens ipsius prouidentia, si sim sollicitus, vt vel ipse multa bona opera faciam, vel ab hominibus fiant.

si essem sollicitus, viderer diffidens de diuino decreto.

Vnde-

41 Vndecimò considerandum, sententiam illam non videri multum differre à sententia aduersariorum, qui statuunt, Deum ante præuisa omnia opera alios elegisse ad regnum, alios destinasse ad exitium, seu positiuè reprobasse: quæ sententia ita offendit animos multorum, vt Ordines Hollandiæ illam edicto prohibuerint. Et si enim speculatiuè sit discrimen inter has sententias, quòd illa seruet libertatem intrinsecam, quæ in intrinseca dispositione voluntatis consistit, illa non seruet, tamen in ordine ad mores & ad æstimationem moralem hominum, parum videtur differre: nam ad omnem sollicitudinem tollendam parum interest siue dicamur positiuè reprobati, siue negatiuè, si æquè infallibiliter ex tali decreto sequitur damnatio. Similiter ad eundem effectum parum refert, siue electio dicatur adferre bonorum, operum necessitatem intrinsecam, siue extrinsecam, cum omnia æquè certò ex vi illius electionis eueniant. Idem patet si agatur de desperatione: non enim minus ad desperationem impellit reprobatio negatiua quàm positua.

Non videtur differre à sententia aduersariorum, si æquè infallibiliter seruet.
Caluinus l. 3. cap. 23 § 1. 4. 6. 7.
Zwinglius, Beza, & alij.

42 Dices: Etiam positæ præscientiæ, æquè infallibiliter sequitur damnatio, & omne opus præscitum, siue bonum siue malum: ergo etiam tollenda erit præscientia, ne homines abiiciant omnem sollicitudinem, & cadant in desperationem. Respondeo, negando consequentiam: est enim maximum discrimen inter ista. Nam decreterum illud negatiuæ reprobationis antecedit omnem nostrorum operum præuisionem, ita vt nullo modo à nobis pendeat. Vnde si ex illo decreto non minus infallibiliter sequitur damnatio quàm ex reprobatione positua, non minus videtur tolli sollicitudo bonorum operum, & induci desperatio per reprobationem negatiuam, quàm per posituam. Quid enim refert ad æstimationem moralem, siue decretum reprobationis dicatur esse posituum, siue negatiuum, si nullo modo à nobis pendet vt sit vel non sit; & eoposito, æquè certò & infallibiliter sequitur damnatio? quid interest ad spem salutis, siue Deus dicat, Nolo te ponere in numero electorum, siue, Volo te damnare? quid interest inter creari ad exitium, & creari ad reprobationem negatiuam, siue extra numerum electorum? Equidem si mihi proponeretur vtro modo ad meam consolationem malim factam reprobationem, nescirem vtrum deberem præferre: nisi quòd modus ille posituæ reprobationis aduersariorum plus videatur adferre excusationis, cum necessitate in malorum operum inducat, negatiua verò ita per gratias incongruas

Discrimen inter præscientiam & decretum reprobationis negatiuæ.

gruas & inefficaces hominem gubernet, vt liberè malè agat, & ita minus excusationis habeat.

*Ex præscien-
tia nihil in
comiso.*

At si ponatur reprobatio ex præscientia, nihil sequitur incom- 43
modi. Quamuis enim, positâ præscientiâ peccati finalis, infallibili-
ter sequatur damnatio, tamen hoc nos percellere non debet, cum
à nobis pendeat vt illa præscientia sit vel non sit, actio enim no-
stra libera illam præscientiam quodammodò præuenit, estque ob-
iectiuè prior; & vt sancti Patres loquuntur, est causa præscientiæ.
Itaque in nostra potestate est, facere vt talis præscientia numquam
fuerit in Deo, quia in potestate nostra per gratiam ipsius est, perse-
uerare in bono vsque ad finem. quo posito, sequetur, talem præ-
scientiam numquam in Deo fuisse. Itaque longè alia est ratio præ-
scientiæ, alia illius decreti reprobationis, siue illud sit positiuum,
siue negatiuum.

Denique, quod valdè considerandum, si Deus omnes non sic 44
electos positiuè reprobasset, & à regno excludere statuisset, & vel-
let hoc decretum occultis modis sub specie quadam benignitatis
& misericordiæ exequi, qua ratione id conuoluitur & certius præ-
staret, quàm illa quam ipsi statuunt? nimirum ex nudo suo bene-
placito gratias tales & cum talibus circumstantiis, illis præparan-
do, vt certissimè sciret illas carituras effectu, & neminem ex illis
saluandum. Itaque parum videtur interesse, siue positiuè, siue ne-
gatiuè dicantur reprobati, quando eadem mediâ adhibentur, ex
quibus æquè infallibiliter vtrique casu sequitur damnatio.

*Deus ex se
nihil statuit,
nisi quod bo-
num est &
consolatoriū.*

Duodecimò considerandum, cum Deus sit fons omnis beni, 45
omnis dulcedinis & consolationis, non esse credibile, illum ex se
aliquid statuere quod cognitum offendat, & torporem iniiciat, &
amaritudinem animi ac desperationem adferat. Ex fonte enim
omnis boni, per se nihil nisi bonum, & consolatoriū, & salutife-
rum procedere potest: asperitas omnis & amaritudo occasione
peccati. Atqui ille modus electionis & reprobationis ante omnia
merita & demerita talis est, vt persuasus populo & diligenter ex-
pensus pariat scandalum, licentiam vitæ & desperationem, cum
quadam irreuerentia & indignatione contra Deum, vt experientia
constat: multa enim huius rei extant exempla eorum, qui ex huius
sententiæ persuasione in melancholiam & desperationem acti;
quibus nulla nisi per contrariæ sententiæ persuasione suppetit
medicina. Ergo non est credibile, Deum talem electionis & re-
probationis modum secutum. Omitto alia plurima quæ hic dici
possent:

possent: sufficere enim poterunt hæc considerationes, si benè expendantur, ad illam sententiam non admittendam, & ad medicinam illis faciendam qui ex illius imaginatione afflicti vel perturbati; quorum hodie, occasione disputationum quæ in Hollandia & coniunctis Prouinciis maxime iam plusquam decennium vigent, sunt plurimi. Quæ verò pro illa adferri possunt, non magnam difficultatem habent, & satis à nobis discussa sunt in Tractatu de Prædestinatione, & à Gabriele Vasquez 1. parte disp. 89.

- 46 Solùm aduertendum est, (vt etiã benè notauit idem Vasquez *Contraria sententia traxit originem ex verbis Augustini male intellectis. Modi loquendi S. Augustini.* disp. 89. cap. 8.) sententiam illam originem suam traxisse ex quibusdam locis S. Augustini non benè intellectis. Disputans enim contra Pelagianos & Semipelagianos, sæpè dicit *electionem esse gratuitam, non esse ex meritis, non esse ex operibus, sed secundum Dei propositum: hominem non posse mereri suam electionem; nos esse electos vt esse mus sancti, non quia eximus sancti.* Similia dicit de prædestinatione & prædestinatis. Vide cap. 7. & 10. De correptione & gratia, & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. lib. 1. De prædestinatione Sanctorum cap. 19. & c. libi. Quæ loca multi non rectè intellexerunt, idque ob duas causas. Primò, Quia non distinxerunt inter *electionem ad gloriam, & electionem ad gratiam* iustificationis, neque inter *electionem ad gloriam, & prædestinationem*, quasi hæc omnia apud Augustinum sint eadem, & nomen *electionis* semper accipitur pro *electione absoluta ad gloriam*. Secundò, Quia in modo loquendi Augustini non distinxerunt inter *opera seu merita liberi arbitrij, & inter merita vel opera gratiæ.* Vnde cum S. Augustinus dicit, *prædestinationem vel electionem esse gratuitam, non ex operibus, non ex meritis, &c.* intellexerunt etiã electionem ad gloriam non esse ex meritis gratiæ: quod plane alienum est à mente Augustini, qui solum contra Pelagianos & Semipelagianos contendit, gratiam iustificationis non dari ex meritis liberi arbitrij, vt ipsi volebant, ac prout de hominibus ex huiusmodi meritis vel operibus non eligi ad gratiam vel gloriam. Hoc est quod tanto molimine tot locis probat Augustinus, vt errorem illorù refutet, qui causam cur hi essent electi ab æterno ad gratiam iustificationis, & consequenter ad gloriam, illi non essent electi; & cur his in tempore daretur gratia, non illis, referebant in bona opera solis naturæ viribus ab illis facta, non ab illis. *Numquam fuit hæc ratio in Ecclesia vtrum homines essent electi ad gloriam ex meritis gratiæ.*

- 47 Numquam enim fuit quæstio vel inter Catholicos solos, vt inter Catholicos & hæreticos, vtrum homines essent electi ad gloriam

riam ex nudo Dei beneplacito ante præfisa omnia merita gratiæ, an ex meritis gratiæ; sed omnes sine controuersia videntur supposituisse tamquam certum, quod sicut gloria non datur aduersis nisi ex meritis gratiæ; ita eam neque esse absolute prædestinatam nisi ex meritis gratiæ. Idem enim valent apud Augustinum & alios Patres, dari ex meritis, & prædestinari ex meritis: dari sine meritis, & prædestinari sine meritis, vt perspicue in nostro de Prædestin. Tractatu num. 4. demonstratum est, & fuse ostendit Vasquez disputat. 89. cap. 4. & 8. Vnde ipse Augustinus libro 1. ad Simplicianum q. 2. expresse docet, electionem ad gloriam esse ex meritis gratiæ, neque visquam aliter docuit, aut hanc doctrinam visquam correxit; sed etiam in posterioribus scriptis ea quæ ibi docuit ita probauit, vt Lectores ad illum librum remittat, vt patet cap. 4. De prædestinatione Sanctorum, & cap. 20. & 21. De bono perseverantiæ.

Hæc igitur sententia refutata, alteri tamquam magis piæ & consentaneæ diuinæ bonitati, magis consonæ Scripturis & sanctis Patribus, magis consolatoriæ & idoneæ iuuantis proximis, & ad ingentem salutis sollicitudinem omnium animarum iniiciendam, iudico ad hærendum; quæ breuiter hisce propositionibus explicari potest.

Primò, Deus ante omnem præuisionem futurorum, in infinita sua bonitate inductus, liberè statuit condere naturam rationalem Angelicam & humanam, vt eam eleuaret ad statum diuinum, & faceret participem suæ gloriæ & suæ beatitudinis, omniumque bonorum & gaudiorum suorum.

Secundo, In hoc signo non selegit sibi certum numerum ex quo ciuitas illa caelestis constaret; sed omnes omnino excepto, ordinauit vt essent ciues illius ciuitatis, & participes gloriæ illius, cum firmo proposito eam sub tempore re ipsa omnibus conferendi, nisi per ipsos staret; hoc est, nisi ipsi peccando se eius directioni subtraherent & indignos redderent.

Tertiò, In hunc finem statuit ante omnem futurorum præuisionem, omnes Angelos & primos parentes (in quibus virtute continebatur totum genus humanum) condere in statu gratiæ, cum magnis auxiliis magnaque facilitate ad perseverandum.

Quartò, Quos ex Angelis vidit per auxilia ipsis præparata & donata perseveraturos, vel potius perseverantes, hos absoluto decreto elegit ad gloriam: quos autem vidit non perseverantes in bono, sed per superbiam se eleuantes, reprobauit destinando æternis suppliciis.

Quin-

Idem apud
Augustinum
dari sine me-
ritis, & præ-
destinari sine
meritis.

Quem ordinè
Deus in præ-
destinatione
seruauit.
Concil. La-
teran. sub
Innoc. III.
c. Firmiter,
de summa
Trinitate
Sap. 11. & 12
1. Tim. 2. & 4
Damascenus
lib. 1. De fide
cap. 29.

August. lib.
De concept.
& gratia,
c. 10. & 11.

51 Quinto, Præuiso peccato Adami, & prima illa ordinatione status innocentiae per peccatum euerfa, cum totum genus humanum in Adamo esset perditum, misericordia commotus, rursus statuit genus humanum erigere, & nouo modo ad salutem dirigere, prædestinando Incarnationem Verbi, vt humana natura in Verbo existens, & per Verbum sanctificata, iustitiæ diuinæ pro omnium hominum peccatis præteritis, præsentibus & futuris satisficeret, & omnibus omnia ad salutem ex parte Dei necessaria mereretur. Propter cuius merita Deus rursus constituit omnibus, quantum conditio status lapsi pateretur, dare auxilium sufficiens, volendo vt omnes adulti eo vterentur, vt illud in opus dirigerent, obligando etiam parentes vt doctrinam salutis ad posteros propagarent, & magnam eorum curam haberent, quod si fecissent, vt poterant & debebant, vera fides & religio in omnes adultos deriuari potuisset.

Ioan. 3. v. 16.
Synodum
Constanti-
nop.

1. Timoth. 2.

52 Sexto, Deus vidit ab æterno quinam auxiliis, quæ ipse singulis toto temporis decursu daturus erat, rectè vterentur, & per ea in iustitiâ perseverarent, quinam non perseverarent, & in peccatis morerentur: itaque illos elegit ad gloriam, hos reprobauit & destinauit ad pœnas; & ante hanc præuisionem nulla fuit absoluta electio aut reprobatio.

August. lib. 1.
ad Simplicianum
q. 2. &
alij Patres
omnes.
Matth. 25.

Vbi tamen aduertendum est, omnibus ijs qui perseverant vsque ad finem, fuisse præparatum absoluto decreto auxilium efficax & donum perseverantiæ, independenter ab eorum libero arbitrio nudè considerato, ac proinde gratuito secundum modum loquendi Augustini; non tamen independenter ab eorum libero arbitrio donis gratiæ prioribus instructo: nam vt Augustinus ait, *Meritis fidei & gratia hoc donum possumus suppliciter emereri*; & fide certum est, ipsam perseverantiã etiam a nobis pendere. Iis verò qui non perseverant, fuit etiam hoc donum gratuita Dei misericordia, quantum opus est ex parte Dei, præparatum: quòd autem datum non fuerit re ipsa, ipsi in causa sunt; quia per ipsos stetit, & non per Deum, quòd non perseverauerint. Verum quia Deus per scientiam conditionatam sciebat per quam gratiam quisque esset perseveraturus, & per quam non perseveraturus; quisque singularis beneficii loco ducere debet si eam gratiam à Domino accipiat, per quam sciebatur perseveraturus; cum Deus aliam illi dare potuisset, per quam nouerat non perseveraturum. Idem dicendum de conuersione, & aliis bonis operibus. vnde hanc gratiam semper petere debentus. Et hanc scientia non sit illi ordinaria regula distri-

Epist. 106.
Lib. De bono
perseueranti-
æ cap. 6.
Mat. 10. & 24
Concil. Tri-
dent. sess. 6.
cap. 13.

Conc. Trid.
suprà.

distributionis gratiarum quas electis vel reprobis confert, ut ex ijs quæ suprâ diximus, constat. Porro hæc gratia non solum completur diuinam inspirationem, piâque affectionem voluntatis, sed etiam circumstantias cum quibus datur, ut loci, temporis, modi, personarum, officiorum, & aliarum rerum quæ nos iuuant ad bonum, atque ad totam directionem diuinæ prouidentia, quam ipse nobis scit fore salutarem.

Qui tamen non perseverarunt, non habent quòd de Deo con- 54 querantur; quia ex parte sua illis, præsertim fidelibus, non defuit: nam sincero animo & desiderio salutis eorum dedit, illis auxilium verè sufficiens, mandans ut redderent illud efficax in actu secundo per illud operando, sicut facillè poterant. Nostrum enim est, postquam gratia Dei instructi & perfectam corroborati sumus, illam reddere efficacem in actu secundo, per illam operando bona opera, & mandata seruando: quod sine iniuria sanæ doctrinæ negari non potest. Quare si hoc non facimus, sed gratiam Dei negligentes & otiosam relinquentes, auertimus nos à Deo, eius mandata violando, meritò damnamur.

Ex his patet, in prima illa intentione, qua Deus voluit se com- 55 municare naturæ rationali, neminem fuisse exclusum, sed omnes pari modo comprehensos: omnes enim quos statuit creare, statuit etiam in filios adoptare, & gloriæ suæ participes facere, nisi ipsi se tanto beneficio redderent indignos. Sicut enim ipse est omnium principium, ita etiam voluit esse omnium finis & consummatio.

CAPVT III.

*Quòd Deus necessariò in omnibus operibus ad
extra querat gloriam suam: nec ideo minus
ei deberi à creaturis.*

ETSI Deus omnia quæ extra se facit, liberrimè faciat, & liber- 56 rimè velit; tamen si quid velit facere, neesse est ut id velit ex affectu & intentione suâ gloriæ. Quia sicut necessariò est primum & eminentissimum agens, ita necessariò est vltimus & eminentissimus finis, cuius gratia omnia. Ac proinde in omni sua operatione externa necessariò intendit aliquod bonum suum. Nullum autem est genus bonorum imaginabile quod Deus possit sibi acquirere, præter

Isaie 5.
Matth. 23.

Matth. 25.
15. & seqq.
2. Cor. 6.
3. Tim. 1.

Deus necessariò in omnibus querat gloriam suam, quia est vltimus finis.

præter gloriam extrinsecam, quæ etiam inter bona externa est præstantissimum. Ergo impossibile est vt Deus aliquid faciat aut velit non intendendo gloriam suam. Confirmatur: Si aliquis esset Deo maior, illius gloriam Deus quærere deberet, ergo cum nemo sit vel possit esse maior, vel par, sed ipse omnibus infinite sit eminentior, necessariò debet in omnibus vltimò intendere & quærere gloriam suam; adeò vt contrarium implicet contradictionem: esset enim summe inordinatù, si alicuius rei creatæ bonum intenderet, sistendo in illa, nec vltèrius ad suam gloriam hoc totum referendo. Vnde Dominus Isaia 48. ait: *Gloriam meam alteri non dabo.* daret autem illam alteri, si in bono creaturæ sisteret, quia constitueret illam vltimum finem *cuius gratia*, respectu illius operationis & volitionis. Idem confirmatur ex eò, quod Deus, cum sit infinita perfectionis, tanta est excellentiæ, vt omnis res creata, quantumuis excellens, sit instar nihili coram illo. Quo fit vt omne bonum ad Deum pertinens, quatenus ipsius bonum est, vt quælibet ipsius voluntas, (etiam si in se paruum videatur) pluris sit æstimandum, quàm omne bonum creaturæ quatenus ad creaturam pertinet. Quare cum Deus ordinatissimè agat, necessariò debet magis intendere suam gloriam, quàm perfectionem creaturæ. Gloria enim Dei pluris est æstimanda quàm omne bonum creaturæ. Vnde etiam homo non potest sibi excellentius bonum proponere in operando, quàm gloriam Dei: nec melius actiones suas peragere, quàm referendo illas ad gloriam Dei, ad quam etiam Beati omnia sua referant.

Nulli genus
honoru Deum
sibi acquire-
re potest, præ-
ter gloriam.

Sap. 11. 23.
Isaia 40. 12.

Bonum Dei
quàm Dei
pluris æsti-
mandu quàm
omne bonum
creaturæ.

58 Ex quibus patet primò, Infinitam perfectionem & eminentiam Dei super omnia creata esse causam cur non possit aliquis velle vel facere, nisi ex intentione suæ gloriæ. Secundò, Bonum rerum creaturarum dupliciter posse considerari. Primò, Vt rem creatam perficit. Secundò, Vt ad Dei gloriam pertinet, & diuinas perfectiones representat? & hoc secundo modo consideratum longè pluris æstimandum, & à Deo esse intendi. Tertio, Sicut impossibile est esse aliquam rem creatam quæ non dependeat ab influxu Dei vt primæ causæ efficientis; ita etiam impossibile est esse aliquam rem creatam, quæ non dependeat ab intentione gloriæ Dei, & ad eam tamquam vltimum finem non ordinetur.

59 Dices: Actus peccati, verbi gratia, odium Dei, est aliquid creatum pendens ab influxu Dei vt primæ causæ, & tamen non potest ordinari ad gloriam Dei: implicat enim contradictionem, vt quis

Actus peccati non est vltimo modo volitus aut intentus à Deo.

D d d d

pec-

Concil. Trid.
sess. 6. can. 63

*Actus peccati
representat
divinas per-
fectiones ex-
cellentius quā
ulla res cor-
poralis.*

peccet ad gloriam Dei. Respondeo, actum peccati secundum suam entitatem physicam pendere quidem ab influxu Dei, non tamen ita ut sit volitus à Deo, sed solum permissus, ut ex Concil. Trident. colligitur. Vnde solum eius permissio est volita à Deo, & ex intentione gloriae Dei pendet: quia ad gloriam Dei pertinet ut peccata permittantur, nempe ut voluntati creaturae suae constet libertas, & virtus non sit coacta, sed libera. Ob eundem finem volitus est concursus generalis ad illum actum, sine quo fieri non posset. Nec refert quod ille actus sit entitas quaedam vitalis certae speciei, & valde mirabilis, divinarum perfectionum multo magis representativa quam ulla res corporalis: ac proinde videatur hac ratione posse esse volitus à Deo ex intentione gloriae Dei: quia obstat inicitia moralis illi intimè implicata, saltem fundamentaliter, ratione cuius ita est dissentaneus naturae rationali, ut ab ea bene fieri nequeat, & hoc ipso quo liberè ab ea fit, sit formaliter peccatum. Repugnat autem bonitati & sanctitati divinae, ut aliquid velit fieri à creatura, quod sine peccato facere non potest, aut quo directè ad peccatum incitetur, vel quo ipse Deus à sua creatura censeatur contemni, & lex aeterna violari. Vnde etiam particularem & determinatum influxum ad illum, ut à voluntate procedit, præbere non potest.

Quae haecenus diximus, intelligenda sunt de gloria Dei in genere: si enim loquamur de illa speciali gloria quae consistit in visione Dei & actibus visioni connexis, Deus hanc gloriam, etsi maximam, non necessariè in suis operationibus intendit, sed liberè. Potuisset enim condere hoc uniuersum, & naturam rationalem non exehere ad illam visionem, sed relinquere illam in inferiore gradu: quo euentu non interdisset illam gloriam in suis operationibus, sed aliam inferiorem. Verum quia ipsa illam maximam & summam constituit finem uniuersi; hinc fit ut omnes eius operationes quas circa creaturas habet, ad hunc finem tendant, idque propinquiùs vel remotiùs, prout ipsae res propinquiùs vel remotiùs ad illum finem iurant.

Dicet fortè aliquis: Si Deus in omnibus potissimum spectat gloriam suam, & propter illam omnia facit, quomodo id non minuit aestimationem beneficiorum ipsius, cum in illis non tam nostrum bonum quam suum querere videatur? Sicut si dominus splendidis vestibus sua mancipia induat, non ob ipsorum commo-
adm-

admirationi, non censetur multum liberalis, aut beneficus, aut beneuolus in illa mancipia; nec ipsa illi tantum debent, quantum si solum illorum commodum spectasset. Simili modo poterit quis imaginari de Deo.

Respondeo, Quod Deus vltimò in omnibus spectet suam gloriam, id ab intrinseco & ex natura rei est necessarium, propter infinitam eminentiam ipsius supra omnem creaturam: vnde si id non faceret, inordinate ageret, vt ostensum est. Quare ex hoc capite non minuatür estimatio beneficiorum eius, aut obligatio actionis gratiarum: stultum enim est & impium, existimare, nos idè minus Deo debere, quia non amat nos tamquam vltimum finem cuius

Quia Deus suam gloriam intendat, non minuit estimationem beneficiorum eius.

62 *gratia* respectu suorum beneficiorum: quod fieret, si ea ad gloriam suam non referret. Deinde adum Deus spectat suam summam gloriam, eo ipso necessario spectat & intendit summum bonum nostrum: quia summa eius gloria est summum bonum nostrum, & summum bonum nostrum non potest esse nisi summa eius gloria. Ratio est, quia summa eius gloria externa est, ipsum à nobis perfecte cognosci, amari, & gustari. Vnde consistit in tribus actibus vitalibus, & in iisdem formaliter consistit summum bonum nostrum, & vita aeterna, & essentia beatitatis. Summum enim bonum nostrum & formalis beatitas est, Deum videre, amare, gustare; seu quod idem vno verbo dici potest, Deo frui. Itaque in summa Dei gloria formaliter & intrinsece includitur summum bonum nostrum, ita vt sine illo concipi nequeat: & hoc pro quo Deus illam gloriam intendit & querit, intendit & querit summum bonum & commodum nostrum. Vnde non minus Deo gratias agere debemus, quod querat gloriam suam, quam quod querat salutem nostram; quia gloria eius est salus nostra. Hoc in Hymno Angelico Ecclesia insinuat cum ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: beneficia enim ipsius in nos, sunt gloria eius. Accedit quod ipsi nihil commodi proueniat ex omnibus quae nobis donat, vel pro nobis facit, sed in illis omnibus solum querat commodum nostrum. Nos soli sumus, in quorum commodum omnia facta sunt.

Summa gloria Dei est summum bonum nostrum.

63 Ex quibus patet, illud exemplum de domino mancipiorum non esse simile: ille enim non querit commodum suorum mancipiorum, sed solum gloriam suam. Vnde non ex affectu beneuolentiae, sed ex amore sui illis beneficium prestat. Deus vero ita querit gloriam suam, vt simul querat commodum nostrum, & ex affectu beneuolentiae erga

nos illud conferat; imò summam gloriam suam in summa benevolentia & beneficentia erga nos constituit. Sicut si aliquis Princeps potentissimus & nullius egens, omnem gloriam suam constitueret in beneficentia & liberalitate erga subditos, & summam eorum felicitatem, summam duceret esse suam gloriam, quis non summo amore summaque laude profectum diceret hunc Principem, eò quòd tali modo quærat gloriam?

CAPVT IV.

Quo modo natura ratione carens ordinetur ad gloriam Dei.

DIXIMVS Capite primo gloriam Dei formalem extrinsecam consistere in tribus actibus vitalibus nature rationalis, consideratis vt circa Deum versantur, nempe in cognoscere, amari, & gustari, & in iisdem consistere summum bonum illius nature: quare cum natura ratione carens non sit capax talium actuum, videndum quare ratione ad gloriam Dei ordinetur, illique seruiat. Quod vt intelligatur, notandum est, Deum ita esse finem vltimum nature rationalis, vt etiam sit eius finis proximus, cum non sit alius quid infra Deum ad cuius gloriam vel commodum ipsa possit ordinari. Vnde solus Deus est finis immediatus ad cuius solius gloriam ipsa est condita. Verum nature irrationalis Deus ita est finis vltimus, vt ipsa etiam alium finem habeat ad quem proxime natura sua destinetur, nempe naturam humanam, ad cuius obsequium mundus iste corporeus cum omnibus rebus corporalibus quæ ipso continentur, conditus est. Quòd enim omnia animalia & viuentia sint propter hominem, patet Genes. 1. *Faci illius, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & preest piscibus maris, & volatilibus celi, & bestiis, vniuersaq; terra, &c.* & Psalm. 8. *Constituisi cum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.* Si omnia viuentia, & ipsa terra est propter hominem, par est credere, cetera quoque non viuentia, vt orbis caelestes & elementa, eius causa esse condita: quòd etiam ipsorum motus & operationes omnes declarant, quibus assidue homini seruiunt: neque vllis alius potest eorum vsus assignari, cum Angelica natura mundo corporali non egeat. Homo itaque finis est proximus totius istius machinæ. Hinc ceteris omnibus creatis, digestis, ornatis &

Deus est finis proximus & vltimus nature rationalis.

Mundus est propter hominem.

pra-

preparatis, vltimo loco Conditus est homo, & veluti heres ac dominus in possessionem vrbis inductus.

65 Porro duplex obsequium homini mundus præstat, quo illum ad finem suum iuuet. Primum præbet ei habitationem, & omnia quæ ad vitam corporis sunt opportuna. Vnde est ei instar domicilij pulcherrimi & amplissimi omni genere supellectilis, & rerum affluentia instructissimi. Cum enim homo non solum animo, sed etiam corpore constet, egebat loco corporali in quo degeret, & innumeris adminiculis corporalibus ad hanc vitam temporalem placidè & iucundè peragendam, donec transferretur ad æternam. Et quamuis fortè in æterna locus corporalis absolvere ei non sit necessarius, tamen quia etiam tunc corpore constabit, par est vt in illa quoque statu locum conditioni corporis congruentem habeat. Itaque non solum in hac vita, sed etiam in futura mundus corporeus illi pro habitaculo seruiet, nam quidem parte sui inferiora, tunc suprema, quæ hac incomparabiliter pulchrior & excellentior.

Duplex officium mundus præstat homini: habitationem & omnia vitæ corporali necessaria: & Conditoris notitiam.

66 Alterum obsequium, quod mundus homini præstat, pertinet ad animam, nimirum quod veluti præco ingerat ei notitiam sui Conditoris, declarando illius potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, prouidentiam, & ceteras diuinas perfectiones, iuxta illud Psalm. 18. *Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Cum enim anima humana (propter quam sunt omnia corporalia) sit infima in ordine intelligentium, fit vt adeo sit imbecilla, ad intelligendum, vt nullam rem spiritum aut corporalem cognoscere possit, nisi sensum adminiculo. quæ ob causam, postulat nisi corpori, vt per sensum possit venire in notitiam rerum creaturarum sub sensu cadentium, & per hanc notitiam, accedente diligente consideratione & ratiocinatione, in notitiam sui & communis omnium Conditoris.

67 Ob hæc causam non solum ea quæ corporali vitæ sunt necessaria voluit Deus esse in mundo, sed etiam alia innumera, nimirum vt sua pulchritudine & varietate specimen quoddam exhibeat excellentiæ Conditoris, per quod homo ipsum cognoscat, cognitum amet, colat, reueretur, laudet, & gratias agat. Sicut enim palatium summa arte extructum, & imago optimis coloribus & magna industria perfecta, ostendit excellentiam artificum: ita mundus iste & res omnes quæ sub sensum cadunt, ostendunt apertè excellentiam sui Officis: nam hæc omnia arte & potentia vnius artificis facta sunt.

Cur Deus tam multa fecerit homini non necessaria.

rum ostendunt eius magnitudinem & potentiam : pulchritudo solis, lunæ, stellarum, & aliarum rerum omnium, declarant eius pulchritudinem : subtilitas & artificium quod in omnibus rebus, præsertim in animantium structura cernitur, eius sapientiam : summa cuiusque rei in sua specie perfectio, eius perfectionem : rarissimus ordo in cursu calorum & rerum vicissitudinibus, eius providentiam. imò in singulis rebus, si quis bene attendat, hæc omnia nobis mirabili modo indicantur; quia nihil est adeò vile quod non sit plenum (vt ita dicam) miraculis & subtilitatibus menti humanæ impenetrabilibus, quæ nobis Dei potentiam, sapientiam, & influxum occultissimum insinuant. Si verò simul omnia considerentur tamquam integrum opus ipsius, manifestè ostendunt, ipsum esse bonum quoddam infinitum, in quo omne genus bonorum excellentissimè continetur; ac proinde ipsum esse supra omnia amandum & colendum. Hæc omnia, & quidquid omnino absque peculiari revelatione de Deo à nobis cognosci potest, docent nos res creatæ quæ sub sensum cadunt. Hinc Apostolus ad Rom. 1.

Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & Divinitas, sensus est: Quidquid de Deo, cognosci naturaliter potest, id Philosophis fuisse manifestum: quia inuisibiles Dei perfectiones iam inde à creatione mundi per ipsa opera factæ sunt visibiles, & ex ipse operibus intellectæ, videntur. Vbi Apostolus indicat eas videri per opera, sed mediante discursu, quia ex operum consideratione intelliguntur. Idem habetur Sap. 13. Magnitudine speciei & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri. Græcè est:

Ἐκ μεγέθους καλλότητος καὶ ποσότητος ἀναλόγων ὡρασιον ὁ θεὸς θεωρεῖται.
Ex magnitudine pulchritudinis creaturarum per analogiam opifex ipsarum cernitur. vbi notandum, illud ἀναλόγων, per analogiam, quæ denotatur qua ratione ex rebus creatis ad Creatorem mente debemus ascendere, nempe per analogiam, non per similitudinem: nam quantumvis res creatæ sint magnæ & pulchræ, nullam tamen inter ipsas & Conditorum est similitudo, sed solum analogia & proportio quædam; quia omnis perfectio quæ est in rebus creatis, est longè alterius rationis & sublimiore modo in Opifice; quod optime explicatur à Dionysio lib. De mystica Theologia, præsertim cap. 4. & 5.

Ratione huius analogicæ repræsentationis, mundus iste rectè dici-

Deus ex rebus creatis cognoscitur per analogiam.

dicitur præco & testis Diuinitatis, cuius vox toto orbe auditur, & ab omnibus gentibus potest intelligi, iuxta illud Psalm. 18. *Non sunt loquela neque sermones quorum non audiantur voces eorum. In finibus Diuinitatis*

omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Huius vocis testimonio Deus ab initio usque ad finem vitur ad se mortalibus insinuan-

dum. Vnde Apostolus Act. 14. ait, quod Deus, etsi præteritis sæculis permisit gentes ingredi vias suas, nec ad eas miserit Prophetas sicut ad Iudæos; tamen non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de celo, dans pluias & temporum fructifera, implens cibo & letitia corda nostra. de quo testimonio ita S. Prosper lib. 2. De uocatione gentium cap. 4. Quod est autem hoc testimonium quod semper Domino deseruiuit, & numquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilem beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per que humanis cordibus quadam æternæ legis tabula præbebantur, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publicæ diuine institutionis doctrina legeretur? nimirum, esse vnum omnium Conditorum potentissimum, sapientissimum, optimum, quem omnes amare, timere, colere, cui omnes obedire ac seruire debeant. Ad-

dit Prosper: *Calum ergo cunctaq; caelestia, mare & terra, omniaque qua in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque consensu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris.* Hoc tamen præconium & testimonium creaturarum, etsi cum auxilio interno (quod pro tempore & loco non deerat) esset sufficiens ad insinuandam hominibus Dei cognitionem, plerique tamen illi non attenderunt, vnde illis non profuit,

71 ut videm Prosper ait. Sicut mundus ratione illius repræsentationis dicitur præco & testis Diuinitatis, ita etiam dicitur speculum, ut insinuat Apostolus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate.* vbi nomine speculi res creatas vel imaginarias similitudines ex rebus creatis acceptas intelligit. *Videmus per speculum,* quia in creaturis non est silentium, sed per earum cognitionem analogico mentis ascensu transeundum ad Creatorem intus latentem, eas formantem & conseruantem. *In enigmate,* quia non clare sicut est in seipso, sed obscure & quasi coniectando Deum ex rebus creatis cognoscimus. Denique mundus est *instar tabulae*, in qua Diuinitas adumbrata: est *instar libri* omnibus gentibus expositi, in quo ea quæ ad Deum pertinent, legi possunt.

72 Ratione huius repræsentationis omnes creaturæ dicuntur laudare

Mundus est præco & testis Diuinitatis

Est speculum Diuinitatis

Est instar tabulae & libri

*Quomodo
omnes crea-
tura laudent
Deum.*

*Bonitas cre-
rum consistit
in represen-
tatione diui-
narum per-
fectionum.*

dare & benedicere Creatorem; quia quantum in ipsis est, totam naturam rationalem ad hoc excitant. Hinc fit ut quamvis res creata varios usus habeant in mundo, ratione quorum *bona* dicuntur; præcipua tamen earum bonitas consistat in hac representatione, qua diuinas perfectiones representant. Hæc enim est maxime intrinseca; & sequitur immediate entitatem rei cuiusque: quæ quod est perfectior, eò etiam perfectius Conditoris perfectiones refert. Vnde sicut veritas rerum consistit in conformitate cum arte diuina seu idea secundum quam factæ sunt, à qua tamquam à propria mensura suam speciem acceperunt: ita earum bonitas & primarius usus consistit in representatione perfectionis sui Opificis, ad quem vltimum principaliter sunt conditæ, ut expresse docet S. Prosper lib. 2. De vocatione Gensium cap. 4. *Cælum, inquit, terra, & mare, omnisque creatura que videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimentis tot bonorum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, mouemur, & sumus.* Vnde patet, hunc esse finem rerum immediatum & intrinsecum, (quatenus nimirum res sunt seu esse habent) quo nullus poterat esse nobilior.

Ex his constat, quo modo natura ratione carens ad Deum ut vltimum finem ordinetur; nimirum, quatenus obsequium præstat naturæ rationali in iis quæ ad corporalem vitam pertinent, ut vivere ad beatitudinem promerendam possit; & quatenus illi representat & prædicat gloriam & excellentiam Conditoris.

CAP V T V

Quomodo natura rationalis ad gloriam Dei ordinetur.

*Natura ra-
tionalis di-
plexiter ad
gloriam Dei
ordinatur.*

NATURA rationalis duobus modis considerari potest. Primo, 74
Secundum suam entitatem, quatenus est natura talis speciei. Secundo, ut per intellectum & voluntatem est capax Diuinitatis. Si priore modo consideretur, ordinatur ad Dei gloriam communi quadam ratione; sicut & natura ratione carens, nimirum ut per suam entitatem est representatiua diuinarum perfectionum. Multo tamen perfectius eas representat, quam omnes naturæ ratione carentes, quia est imago Diuinitatis; cum illæ tantum se habeant instar vestigij. Vnde Angelica natura cum perfecte se cognoscat, longe

longè altiori modo concipi & cognoscit Deum ex cognitione sui, quam ex cognitione rerum corporalium. Secus est in homine: quia natura animæ suæ parum est ei perspecta, cum solum confuse & pauca quædam de illa cognoscat. Itaque ad cognitionem Dei magis feruiunt ipsi res corporales & sensibiles.

Angelus ex cognitione sua essentia magis cognoscit Deum quam ex cognitione omnium rerum corporalium.

75 Porro hæc obiectiua representatio diuinarum perfectionum, quæ in omnibus rebus, vt res sunt, reperitur, duplici modo ad gloriam Dei pertinet. Primò, Quia in illa consistit quædam gloria Dei externa, multò magis quam gloria Principum sæcularium consistit in splendore & multitudine aulicorum, palatiorum, oppidorum, regionum. Omnes enim res creatæ, siue parvæ siue magnæ, naturâ suâ significant & proclamant potentiam, sapientiam, bonitatem & eminentiam Conditoris, & ad illum realem dependentiæ ordinem habent. Quod sanè magna Deo est gloria. Bona verò Regi subiecta nullam eius perfectionem indicant, nec vllum realem ordinem ad illum habent, sed solum eius dominio vel iurisdictioni, vt ad humanum vsum pertinent, subiecta sunt: & tamen ratione huius dominiij vel iurisdictionis censentur ad gloriam eius pertinere, & ipse tamquam magnus & potens Princeps apprehenditur, quamuis tota illa magnitudo nihil reale sit, sed solum quid imaginarium, vt potè ratio quædam conceptibilis mente, quæ solum apud homines æstimatur.

Obiectiua representatio duplici modo ad gloriam Dei pertinet.

76 Secundo, Hæc obiectiua representatio ad gloriam Dei pertinet, quatenus Angelis & hominibus in via est auxilio ad cognitionem & amorem Dei, & quatenus obtenta beatitudine erit occasio & materia nouæ cognitionis, amoris, gaudij & laudis infra visionem beatificam. Etsi enim Beati Deum immediatè & clarè videbunt, prout est in seipso, eum tamen vi huius visionis amabunt & gustabunt, (in quibus actibus suprema Dei gloria, nostraque beatitudo sita est,) nihilominus illius etiam cognoscent vt refulget in rebus creatis, maxime in celesti patria & Beatorum pulchritudine ac gloria, & ex hac cognitione eum amabunt & laudabunt, & de eo eiusque bonis gaudebunt. Vnde hæc ratione illæ obiectiua representatio seruiet cuidam gloriæ Dei formali (infra visionem beatificam) quæ in illis actibus vitalibus consistet, eritque gloria quædam secundaria.

77 Ex his patet, quomodo natura rationalis secundum suam entitatem considerata ordinetur ad gloriam Dei: nimirum per modum imaginis & representatiui, vt diuinæ perfectiones in ea tamquam

E e e

quam

quam in imagine resplendant, & illa representatio intellectui feruiat ad Dei cognitionem, amorem, & laudem. Nunc videndum quomodo ordinetur ad illam per intellectum. Quod ut intelligatur, Notandum est, quod sicut vivens est præstantius non vivente, ita potentia vitalis præstantior non vitali. Inter omnes autem potentias vitales præstantissima est intellectiva, qua nulla eminentior potest vel animo concipi: per hanc enim natura vivas formas & imagines in se concipit, sed etiam est capax Divinitatis; nam lumine gloriæ illustrata & adiuta, format in se viam imaginem Divinitatis, fitque Deo similis eminentissimo modo possibili: insuper per eandem formaliter transit & penetrat in Deum, & Deus in ipsa novo modo existit, & se ipsi cum omnibus suis bonis communicat, ut omnium dulcedine & pulchritudine perfruatur. Hoc totum fit vi visionis beatificæ. Potentiæ intellectivæ velut focia & suppar accedit voluntas, qua anima toto impetu fertur in bonum intellectu conceptum, ut illi novo modo se uniat, nempe per amorem, & in illud veluti transformetur.

Potentia intellectiva nulla potest cogitari præstantior.

Per visionem & amorem anima intrat in Divinitatem.

Per has duas potentias anima nostra duplici modo, eoque eminentissimo, intrat in Divinitatem; & Divinitas in illam, fitque mutua veluti penetratio & intima unio vitalis inter animam & Deum. Unde ex hac unione mutuoque contactu nascitur in anima ineffabilis quidam dulcedinis sensus seu delectatio, qua infinitam Dei dulcedinem vitaliter coniunctam veluti degustat. Sicut enim cum obiectum conveniens naturæ, sensu percipitur, nascitur statim vitalis quædam suavitas in anima ex conjunctione vitali talis obiecti, quæ suavitas delectatio vocatur: ita eum summum illud obiectum delectabile perfectissimo modo percipitur intellectu, & simul amatur; ex illa presentia & conjunctione vitali perfectissima nascitur vitalis quædam suavitas summa & eminentissima, quæ gaudium dicitur & delectatio.

Ex his patet, naturam rationalem multo sublimiori modo ad gloriam Dei ordinari, quam res ceteras. Primo, Quia per suos actus ita tendit in Deum, ut ipsum immediate attingat, eique vitaliter uniat, & particeps Divinitatis evadat. Secundo, Quia representatio diuinarum perfectionum, quæ fit per illos actus, longè est excellentior quam representatio obiectiva de qua supra dictum est. Illa enim est vitalis & formalis quæ per se sentitur; hæc non est vitalis, nec per se sensibilis, sed obiectiva quasi imaginis mortuæ.

Representatio formalis longè est excellentior quam obiectiva.

Illā

78 Illa naturam rationalem efficit beatam; hæc nihil noui naturæ confert, cum in ipsa naturæ entitate consistat. In illa relucet ipsa Diuinitas perfecte prout est in seipsa, quia per illam clarè, & vt est in seipsa, repræsentatur menti, & ab ea percipitur & sentitur, quod in nulla imagine obiectiua fieri potest: quia impossibile est vt aliquid obiectiue repræsentet essentiam diuinam, vt communiter Theologi docent. Vnde merito in tribus illis actibus suprema Dei gloria extrinseca constituitur.

81 Petes: Quo modo gloria Dei in amore & gaudio constituitur, cum hæc non habeant vim repræsentandi; ac proinde in illis non reluceant diuinæ perfectiones? Respondetur, amorem & gaudium beatificum Beatorum maxime ad gloriam Dei pertinere, quia continent vitalem eminentissimam commendationem & laudem Diuinitatis. Deus enim non potest magis laudari & commendari à Beatis quàm per summum amorem & per summum gaudium: nam per amorem æstimatur ab ipsis vt summum bonum, & omnibus præfertur, & omnia ad ipsum ordinantur: idem fit per summum de ipso gaudium. Vnde hi actus natura sua repræsentant diuinam excellentiam & bonitatem vt est in seipsa; non vt effectus ipsius, (sicut alia res creatæ) sed vt actus vitales repræsentant conditionem obiectorum in quæ tendunt, à quibus speciem suam accipiunt.

82 Porro sicut in his tribus actibus summa Dei gloria, quam ipse potissimum in omnibus suis operibus intendit, sita est; ita in iudicio situm etiam est summum hominis & Angeli bonum, & formalis beatitudo, nam per hos actus omnes beati spiritus supra se infinite eleuati Deoque vniti, fiunt deiformes summa & eminentissima cum Deo similitudine, qua nulla maior animo concipi potest. Vnde insister cuiusdam Diuinitatis in omnem æternitatem fulgebunt, tamquam filij gloriæ & claritatis diuinæ: per eisdem actus omnes se in infinitum expandent, vt tanto bono quantum fas est se exæquent & coextendant, vt totum capere ac comprehendere possint. Non hærebunt exterius quasi in superficie, sed omnes eius profundam ingredientur, & intrabunt in gaudium *Matth. 25.* *Domini sui*, alij plus alij minus, pro magnitudine luminis gloriæ, quod cuique communicabitur: cui profundo immerfi, seipsos & omnia creata amittent, quia omnia alia bona & gaudia ad hoc pelagus bonorum & gaudiorum insat nihili videbuntur. Nulla ipsos in hoc profundo caligo, nulla obscuritas, (sicut nobis in hac vita

Eccc 2

Diui-

Amor & gaudium repræsentant excellentiam diuinam prout est in seipsa.

In iisdem actibus sita est summum hominis bonum. Et summa Dei gloria. Effectus hominum trium actuum.

Ipsa Diuinitas est a terra mansio & calum calorum Beatis.

Diuinitas in caligine moratur; sed lux & serenitas immensa, quamuis eam plene comprehendere nequeant. Ibi illis erit aeterna mansio & tranquilla securitas absque timore excidendi. Ibi caelum caelorum, cuius comparatione omne creatum terra est. Ibi omnium desideriorum impletio, & omnium desiderabilium possessio ac fructio. Nihil ibi restabit amplius querendum vel desiderandum; quia omnes in Deo omne bonum firmiter possidebunt, & suauissimè perfruentur. Ibi totum munus Sanctorum erit contemplati infinitam Dei pulchritudinem, amare infinitam bonitatem, gustare infinitam dulcedinem, & torrente voluptatis eius impleri, ineffabili gaudio de infinita eius gloria & de omnibus bonis eius & suis exultare. Hinc perpetua laus, & benedictio, & gratiarum actio. Hoc modo omnes Beati in Deo tamquam ultimo fine, omnium votorum suorum compotes, nihil ulterius desiderantes quiescent.

Obiitio sine omnes motus cessabunt.

Hac ratione ipse erit terminus omnium motuum & ministeriorum, quibus natura rationalis ab initio mundi vsque in finem ad salutem dirigitur, qui omnes illo obitio cessabunt; ut sunt motus caelorum, vicissitudines temporum, series generationum, ortus & interitus rerum, omnes elementorum mutationes, omnis sacra & politica gubernatio, omnia Imperia & Regna, omnia hominum studia & labores, omnis Angelica cura & administratio, omnis diabolica tentatio & infestatio, denique etiam ipsius Christi Domini prouidentia & gubernatio qua nunc Ecclesiam regit ut ad salutem perducatur: suscepit enim ipse regendam Ecclesiam à Patre donec omnes inimici eius subiiciantur sub pedibus eius, ut insinuat Apostolus 1. Cor. 15. nempe vsque ad extremum Iudicij diem, quando omnis potestas diabólica abolebitur, & ultimus Christi inimicus mors per resurrectionem gloriofam destruetur.

1. Cor. 15. Christum tradet regnum Patri ut ipse in omnibus regnet.

Tunc Dominus tradet regnum, nempe Ecclesiam Sanctorum, quam ipse ad salutem adduxit, Deo & Patri, inquit Apostolus, nempe ut Diuinitas in omnibus regnet, & omnes ipsi Diuinitati sublimissimo modo seruiant, cum nihil aliud in omnem aeternitatem agendum supersit. Consistet autem ista seruitus in contemplatione, amore & gaudio, & aliis actibus qui ex his sequuntur: per hos enim maxime Deus honorabitur & glorificabitur à Sanctis; & per eosdem (si considerentur ut à Deo per lumen gloriae & charitatis donum proueniunt) Deus in ipsis regnabit. Tunc & ipse filius (ut idem Apostolus ait) subiectus erit ei qui subiecit ipsi omnia, ut sit Deus

Deus omnia in omnibus. Subiectus erit, nimirum secundum humanitatem. Modò non ita apparet subiectus Patri, quia occupatur in regenda Ecclesia: tunc verò perspicuè apparebit; quia cum Patri regnum tradiderit, completum erit opus salutis nostræ, quod ipsi commissum erat: vnde nihil aliud supererit, quàm vt ipse quoque se totum cum omnibus electis, nempe caput cum corpore, Diuinitatis obsequio & gloria per contemplationem, amorem, gaudium, & aeternam benedictionem, laudem, & gratiarum actionem impendat. Sic Deus erit omnia in omnibus; quia sola Diuinitas (Pater, Filius, & Spiritus) hoc eminentissimo modo in omnibus regnabit & dominabitur, omnium corda & aires animæ plenissime possidens: sola in omnibus omnium votorum & desideriorum completio: sola omnium lux, omnium amor, omnium gaudium, omnium gloria, omnium opulencia, omnium vita, omnium beatitas: sola ita fulgebit & vigebit, & eminebit in omnibus, vt præter ipsam nihil esse videatur, sicut ignis in ferro candente ita eminet, vt præter ignem nihil appareat. Hoc erit regnum futuri sæculi: hoc modo omnes facti erunt participes Diuinitatis, & in eius beatissima fruitione conquiescent. Hoc modo Deus erit vltimus finis, & terminus, & requies Sanctorum.

*Quomodo
Filius Patri
subiectus
erit, vt ser-
uet.*

*Deus erit
omnia in om-
nibus multis
modis.*

CAPVT VI.

Recollectio præcatoria.

87 **F**ILII hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, *Psal. 4.*
& queritis mendacium? Vanitas sunt omnia ista quæ tanto studio sectamini, honores, diuitiæ, voluptates, quorum causa omnes animæ opes, quibus solidæ & aeterna poteratis comparare, frustra expenditis. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas, dixit Ecclesiastes* *Eccl. 1.*
ista omnia expertus, & sic mente contemplatus. Merito *vanitas*, quia ad finem ad quem conditi sumus, nihil præstunt, sed plerumque etiã plurimum obsunt. *Mendacia* sunt omnia ista, promittentia felicitatem, & adferentia miseriam. Verè filij hominum, non filij Dei, qui ista quarunt, mente caeca, cupiditate inconsulta, labore inutili & pernicioso. Non ad ista creati sumus, & in hoc mundo constituti, non in illis situm bonum nostrum, & requies nostra. terrena sunt & temporanea, non possunt animum, cuius

Eeee 3

natura

Psal. 4.

natura caelestis & aeterna, cuius capacitas im mensa, cuius dignitas super Angelis, perficere vel satiare. Quod ergo est verum bonum nostrum? *Quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti letitiam in corde meo.* Solum lumen Fidei hoc bonum nobis ostendere potest, & viam qua ad illud peruenitur: cuius rei cognitio incredibilem animo letitiam adfert. Quid enim optabilius quam nosse summum bonum, finemque ultimum, & tenere viam certissimam qua ad illud peruenitur? sine hac notitia, omnis alia sapientia inutilis, nec sapientiae nomine digna.

Omnes Philosophiam
et. minimum
salutis. igno-
raverunt.
1. Cor. 1.
Daniel. 3.

Has omnes illi antiqui Philosophi destituti fuere, & ideo eva-
nuerunt in cogitationibus suis, nihil commodi ex omnibus suis
studiis & laboribus reportantes. *Quis enim novit sensum Domini,
nisi spiritus Domini qui scrutatur profunda Dei,* per quae nobis hoc
abditum Dei consilium est revelatum? *Benedicant te caeli, terra, ma-
re, & omnia quae in eis sunt, laudent & superexaltent in saecula,* quia
ante omnia saecula tibi cura fuit de nobis, & in primo Trinitatis
tuae consistorio benignissimum de nobis consilium cepisti, ut nos
Divinitatis tuae, omniumque bonorum & gaudiorum tuorum fa-
ceres participes. Quis non obstupescat ad tantam benignitatem
& dulcedinem? quis hoc unquam sperare vel divinare potuisset?
sed ita placuit infinitae illi bonitati, cuius indoles est, ineffabilibus
modis se diffundere & communicare. Solus bonis tuis in tua aeter-
nitate fruebaris, nullius egens, ipse tibi qui bonum es infinitum ad
omnem beatitudinem sufficientissimus. Neque tibi voluptas dul-
cissimae societatis & amicitiae in Personarum trinitate deerat, cum
inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum summa sit societas,
summa amicitia, summa omnium bonorum, gaudiorum, & con-
siliorum communicatio. Itaque non egedas creaturae consortio,
nec aliquid tibi commodi per eam accedere poterat: nihilominus
bonitatis tuae indulgens propensioni, nos condere voluisti, ut ad
consortium bonorum ac gaudiorum tuorum evcheres.

Deo ab aeter-
no societas
& amicitia
bonum non
desuit.

Infinitum inter te & nos est intervallum, non loci, sed naturae, 91
ut qui infinite supra omnia eleuatus supereminens, intercedentibus
infinitis rationalis naturae gradibus, quos in tua sapientia & poten-
tia dispositos contines: nihilominus tanta est potentia bonitatis
tuae, ut mentem nostram supra omnia creata & creabilia eleuare
possis, & miro modo absque medio tibi per visionem, amorem, &
gaudium coniungere. O admirabilem, beatam & gloriosam unio- 92
nem,

nem, in qua simul & summum bonum nostrum, & summa gloria tua reposita! per illam enim efficiamur participes Diuinitatis & omnium bonorum ac gaudiorum tuorum; & per eandem Diuinitas tua summè fulget extra se in speculo mentis creatæ, sicut intra se fulget sibi. In aliis rebus creatis, vt in mundi fabrica, & variis rerum gradibus, elucet tenues quidam radij Diuinitatis tuæ, ex quibus tuam potentiam, sapientiam, bonitatem quasi coniectando cognoscere possumus: at in mente nostra sic eleuata & vnita tibi splendet tota Diuinitatis plenitudo, totaque relucet eius pulchritudo; ita vt quamuis in se vnica sit, miro tamen modo multiplicetur, vt tot videantur esse Diuinitates, quot sunt beatæ mentes. In hac vnione omnia bona nobis affluent, eritque orationum nostrorum desideriorum consummatio: affluet potentia, quia erimus reges & Filij Dei: affluet sapientia, quia ipsum sapientiæ fontem tenebimus & contemplantur: affluet sanctitas, quia eximus ille amor est summa sanctitas, & omnium virtutum perfectio: affluet diuitia, quia regnum caelorum & omnes eius opes nostræ erunt: affluet honores, quia omnes tamquam filij Dei excipiemur & honorabimur: affluet pulchritudo, quia corpore instar solis fulgebimus, mente instar Diuinitatis: affluet gaudia & delectationes, quia *omnes inebriabuntur ab vbertate domus tue, & torrente voluptatū tuæ potabunt eos.* sicut enim erit incomprehensibilis copia bonorum, ita etiam erit & gaudiorum ac delectationum. Affluet pax & securitas, quia nihil nec foris, nec intus vniquam turbare poterit, nihil accideret triste vel quod minus gratum: simulque certissimi erunt, hunc statum fore eis sempiternum.

Psal. 35.

94 Inque hac vnio in qua & summum bonum nostrum, & summa Dei gloria, nobis vnice sit sordi, & ad eam supra omnia adspicimus. Bona huius vite quantumuis magna videantur, præ illo bono vilescant nobis omnia, & instar nihili reputentur. Omnes nostræ cogitationes, curæ & labores ad illud tendant, nec vsquam nisi in illo sit menti nostræ requies. Verum, quia tantum bonum longè positum est supra vires nostras, ad te confugimus, o benignissime Deus, vt qui sola bonitate tua infinita nos ad tantū & tam sublime bonum ab æterno destinasti, & vt ad illud nos perduceres, mundum condidisti, carnem assumpsisti, mortem sustinuisti, & alia innumerabilia designasti: benignitatem tuam in nos continues, neque illam ob ingratitudinem vel negligentiam nostram, vel

vel alias humanæ vitæ labe, quæ subinde per fragilitatem subre-
punt, abrupas vel imminuas, sed potius daugeas, memor æterni
consilij tui & omnium miserationum tuarum, quas hæcenus præ-
stitisti nobis. Illumina mentes nostras lumine Spiritus tui, quo &
mundi istius (cuius præstigijs plerique pereunt) vanitates & peri-
cula, & æternorum bonorum quæ nobis in te præparasti excellen-
tiam & suavitatem possimus cognoscere. Fac ut illa nobis semper
ob oculos versentur, & vehementem in animis nostris impressio-
nem faciant, qua ad caducorum omnium contemptum, & ad
æternorum amorem ac studium impellamur. Numquam flacce-
scant desideria, suspiria, & conatus nostri, donec ad vitæ huius ter-
minum peruentum fuerit; in quo per gratiam tuam digni inuenia-
mur regno tuo, & quiete illa æterna, qua omnes Sancti in te vlti-
mo fine & summo bono suo, per visionem & amorem cum in-
effabili gaudio, omnium viciorum suorum compotes effecti, re-
quiescent.



INDEX